

SIC LÆTA QUIESCO

SYMBOLAE
LITTERARIAE
OPVSCVLA VARIA
PHILOLOGICA SCIENTIFICA ANTIQVARIA
SIGNA LAPIDES NVMISMATA GEMMAS
E T
MONVMENTA MEDII AEVI
NVNC PRIMVM EDITA COMPLECTENTES

VOLVMEN QVARTVM

Ornatum Tabulis II. *aere incisis*



FLORENTIAE. CIↃ. IↃ. CC. XLVIIII.

EX IMPERIALI TYPOGRAPHIO
PRAESIDVM PERMISSV.

AMPLISSIMO EXCELLENTISSIMOQVE DOMINO

GABRIELI LANCILLOTTO CASTELLO

PANORMITANO

PRINCIPI TVRRISMVZAE

MARCHIONI MOTTAE ET CAPICII

COMITI GAGLIANI

INLVSTRI DOCTO MAGNANIMO

PIETATE PRVDENTIA COMITATE

IN EXEMPLVM SPECTATISSIMO

DE PATRIA DE CIVIBVS DE LITTERATIS HOMINIBVS

OB EXIMIVM IN EOS FAVOREM ET BENEVOLENTIAM

OPTIME AC PRAECLARE MERITO

INEXHAVSTO LEGENDI MEDITANDIQVE STVDIO

OMNIS ERVDITIONIS ET ANTIQVITATIS SCRVTATORI

ET LOCVPLETATORI EGREGIO

PATRIAE ERVDITORVM SODALIVM ACADEMIAE

QVAE EXQVISITIOREM AC SELECTIOREM OMNIGENAM ERVDITIONEM


GVSTAT ORNAT AMPLIFICAT

MAGNO ORNAMENTO

EDITIS CVLTISSIMI INGENII SVI MONIMENTIS

APVD OMNES LAVDATISSIMO

SOCIETATIS COLVMBARIAE FLORENTINAE
ALIARVMQVE COMPLVRIVM SOCIO ACCEPTISSIMO
QVOD GENEROSAE PROSAPIAE SVAE
MAIORVMQVE SVORVM INSIGNEM GLORIAM
DECVS NOMEN CELEBRITATEM
FLORENTE ADHVC AETATE
IN DIES AVGEAT ATQVE AETERNITATI COMMENDET
PATRONO SVO AB ORIGINE SPLENDIDISSIMO
FAVTORI MVNIFICO AMICO OPT·VMO
AC RARISSIMO
SYMBOLARVM VOLVMEN HOC QVARTVM
MVLTIS ERVDITAE VETVSTATIS MONVMENTIS
EGREGIE INLVSTRATIS REFERTVM
TENVE QVIDEM SED DEBITVM
PRO MVLTIS IN SE MERITIS EVCHARISTERION
PERENNE OBSEQVII ET OBSERVANTIAE SVAE
ARGVMENTVM
ANT. FRANCISCVS GORIVS
EIVS NOMINI ET ERVDITIONI DICATISSIMVS
ANIMO LVBENS OFFERT DEDICAT



AEQVO HVMANOQVE LECTORI
ANT. FRANCISCVS GORIVS



TSI ex iam editis Inſcriptionum Antiquarum Etruriae Vrbium, ac Muſei mei Etruſci Voluminibus, atque etiam ex Columbario Libertorum et Servorum Liviae Auſtae, perſpicue pateat, quantum conlata invicem doctorum Hominum ſtudia proſint ad iuvandas optimas litteras, nec non ad perveſtigandas Philologiae cum ſacrae tum profanae ditiſſimas fodinas, praecipue etiam ad amplificandam Antiquariae Scientiae gloriam, quam maximo ſint adiumento; tamen, ni ſpe fallor mea, ex aliis lucubrationibus, et Voluminibus, quae nunc fervidis curis praelo parantur, plurimum conferre mutua Amicorum eruditiſſimorum officia magis magisque eluceſcet. Profecto plurimum debeo, ſumque perpetuo devinctiſſimus Ioanni Baptiſtae PASSERIO, *amico meo optumo, viro in omni doctrinarum ge-*

nere consummatissimo, cuius benevolentia, atque in tolerandis litterariis laboribus pertinaci constantia, et amore augendae litterarum gloriae flagrantissimo, (utinam, quod est ab omnibus optandum, maiore, et beatiore otio abundaret!) tantum profeci, ut non solum SYMBOLAS *meas, verum et alia quoque praeclara Opera eius Commentariis, ac perpetuis vigiliis lucupletare, et splendidissima facere possim. Iam praelo commissa sunt eius Prolegomena, Observationes, et complures Dissertationes in* GEMMAS ANTIQVAS ASTRIFERAS, *a me sedula cura collectas, quibus auspicari mihi placuit Gemmarum antiquarum* THESAVRVM, *quem in Volumine II. harum Symbolarum pag. 77. iam descripsi, et quantocius me editurum promisi. His adcedet celeberrimus inter vetusta omnia, quae exstant Monumenta,* ATLAS FARNESIANVS, *signum nempe marmoreum caelestem globum sustinens, ab eodem Praestantissimo* PASSERIO, *quum in lucem nondum editus, et inlustratus sit, Commentario pereximio elucidatus: quo quidem quantum etiam in Astronomica scientia, et omnigena eruditione valeat, liquebit clarissime. Nil dico de Rei Vascularia Etruscae Thesauro, qui plusquam ducentas Tabulas, iam meis sumtibus aeri diligenter incisas, accurata serie dispositas, continet; mox quamprimum edendo cum eius doctissimis Explicationibus: adiectis quoque Observatio-*

tionibus de antiqua Etruscorum, et Italorum Pictura. Nil etiam dico de eius TAGETE, *qui Tractatus ad Etruscam antiquam linguam expendendam, ac dilucidandam pertinet; deque* GLOSSARIO *primaevae linguae cum Etruscae, tum Latinae; neque pluribus heic Lectorem morabor, ut alia eius Opera, praesertim ad Etruscas Antiquitates inlustrandas multo labore meditata, enumerem, quum locus minime heic sit opportunus. Illud addere lubet, quod una certantes non formidamus, sed flocci facimus quorumdam futiles censuras, ne dicam scurriles, contumelias, qui studia, ac labores nostros, multis effusis ambagibus irritos reddere, nosque ab hisce lucubrationibus abstrahere (frustra tamen) conantur.*

His expositis, quantum et alii Amici doctissimi, me rogante, bono litterariae Reipublicae adlaborent, paucis enumerare lubet, eorum Opusculorum, quae in hoc SYMBOLARVM *Volumine IV. et in sequentibus, Deo Dante, proferentur, adiecto et ceterorum edendorum* ELENCHO, *quem habes,* LECTOR BENEVOLE, *in fine sequentis V. Voluminis. Inter primos Amicos meos summa quoque cum laude memorandus est Vir Doctissimus, ac Celeberrimus P. Franciscus Antonius* ZACHARIA, *Inclutae Sociatatis Iesu Presbyter, qui statimac Florentiam advenit, ut intra hunc ipsum annum Sacri Oratoris munere*

in Ecclesia Florentini Iesuitarum Collegii fungeretur, complures Lucubrationes suas eruditissimas Symbolis hisce locupletandis mira animi contentione, et ardore adsidue exaravit, mihique humanissima benevolentia in lucem proferendas tradidit: quae profecto ipsum quam acri ingenio, atque in toto doctrinarum orbe quam praestanti scientia polleat, non secus ac alia iam ab eo edita Opera, perspicue ostendunt.


Sed quae in hoc IV. Volumine exhibentur, breviter enumeranda de more sunt. Primum occurrit in ipso Operis limine Dissertatio C. V. Ioannis Baptistae PASSERI De Hebraismo Aegyptiorum; *cui adcedit* Lexicon Aegyptio-Hebraicum, *nempe Vocum, quae ex Hebraica Lingua derivantur. De hoc egregio Opere, eorum tantum iudicium expetimus, qui sano iudicio de aliorum lucubrationibus iudicant. Sequuntur aliae duae* PASSERIANAE DISSERTATIONES: *prima nempe inlustratur Iupiter* ΠΟΛΙΣΤΕΦΗΣ, *sive aheneum Iovis signum antiquum ex Museo lectissimo V. C. Caroli Friderik Equitis Angli, nunc primum depromtum, duplici serto coronatum: secunda, perrarus Numus* BALLEORVM, *qui exstat in meo Museo, et nunc primum Eruditis proponitur, multa eruditionis fruge explicatur. Reliquam Voluminis partem ornant, ac locupletant Opu-*

scula

ſcula egregia duorum Clariſſimorum Virorum, qui non tantum Collegii Ieſuitarum, verum etiam Litterati Orbis praeclara ſunt ornamenta, nimirum P. Iacobi BELGRADI, *et praelaudati Franciſci Antonii* ZACHARIAE. *Prioris ſunt Epiſtolae duae, altera* de Craſſitie laterum, quibus Veteres in magnis molibus, et ſubſtructionibus utebantur, *quam pro ſua ſingulari in me humanitate, et benevolentia mihi inſcripſit; altera vero Baſis Ariminenſis Inſcriptio militaris recens inventa inluſtratur.* ZACHARIANA *Opuſcula, quae ſequuntur, haec ſunt. Epiſtola de C. Nonii Caepiani Inſcriptione, Arimini nuper inventa, qua multa optimo iudicio expenduntur. Litterarium Symbolarum orbem claudunt eius Epiſtolae patrio ſermone ſcriptae, quibus vetuſta* PISANORVM *Marmora et Monumenta, et pleraque a me praetermiſſa expenduntur, atque adiectis eruditis Obſervationibus locupletiora, atque emendatiora proferuntur. Quia vero ſumma laus eſt laudari a ſummo Viro, ſilentio praeterire nefas duco ea, quae Eminentiſſimus Princeps, Purpuratorum Collegii, & Litterariae Reipublicae pereximium ac ſempiternum Decus,* ANGELVS MARIA QVIRINVS *S R. E Bibliothecarius, & Pontifex Brixienſis, ſcribit in laudem eiuſdem P.* ZACHARIAE *in fine Epiſtolae ad Clariſſimum eius ſodalem P. Hieronymum* LAGOMARSINVM; *quum praeterea ab eodem humaniſſimo, im-*

mor-

mortalis nominis Purpurato meae SIMBOLAE *egregia commendatione ornentur: ita enim inquit:* Demum Te rogo, Hieronyme, ut nomine meo ſalutem plurimam dicas Franc. Anton. Zachariae, ſodali tuo, tecumque in praeſens Florentiae moranti, ac certum eundem facias, magni me aeſtimare eius eruditionem, quam teſtantur plures ab eo in lucem editae lucubrationes; & magis magiſque abſque dubio teſtabuntur ea, quae modo ipſe elucubrat pro SYMBOLIS GORIANIS, ut fidem mihi fecit harum PRODROMVS typis vulgatus; heſternoque tantum die meas ad manus perlatus. Vale. Brixiae die xxx. Auguſti an. MDCCXLIX. *Hiſce eruditae Antiquitatis lauticiis annuum penſum feliciter abſolvimus; alia plura in ſequenti Anno Sacro, Deo largiente, et iuvante, daturi, dummodo Litterati Viri faveant, et conatus noſtros benigniſsima probent humanitate, quae propria eorum tantum eſt, qui optimas diſciplinas augeri, et mirifice in dies inluſtrari ſine invidia, et inſulsa contentione, non vero ad indoctorum tantum riſus excitandos, percupiunt.*



Ex ant. Gruteriano Marmore.

PRAE-

PRAEFATIONIS
MANTISSA

In qua Inſcriptiones aliquot antiquae Romae recens effoſſae nunc primum proferuntur.

QVoniam Typographus monet, pagellas heic aliquot deeſſe ad integrum folium abſolvendum, optimum factu mihi viſum eſt, antiquos aliquot Lapides recens effoſſos hoc loci adiicere: idque eo lubentius facio, quia faventibus Clariſſimis Viris, qui ad me humaniſſime miſerunt, nunc primum in lucem prodeunt. Primus; & quidem Conſularis, leges aliquas ad Sepulcri locum religioſum pertinentes continet.

Lapis Romano in Agro effoſſus hoc ipſo anno, utrinque ſcriptus.

. . . .
. . . .
. . . .
EADEM . FACERE . LICEAT . Q. . . .
NON . ERIT . TVM . QVANTI . E . . . .
EA . RES . IVSVE . EIVS . LOCI . Q. .
INTER . ERIT . TRD . DQ . M . . . . .
T . PINNI . HILARE . ET . A TE . P . D . .
HEREDIBVSQVE . VESTRIS . ET . . . .
E . R . Q . D . A . P . P . HAEC . SIC . F . . .
STIPVLATVS . EST . C . ELEVR . . . . .
SPOPONDERVNT . T . PINN . . . . . .
P . DECIMIVS . EPAGATH . . . .
ACT . VI . IDVS . M . . . . .
L . IVLIO . VRSO . SERVIA . . . . . .
L . FABIO . IVSTO

In al-

In altera lapidis facie

QVAM . Q . . . .
ET . SINE . FINE . GEMVN . .
DESINITE . O . MISERI . LO . . . .
ET . FLETVS . TANTOS . . . .
NON . EGO . SVM . SANGIIIS . . . . . .
SOLA . NEQVE . INMITI . . . .
VOS . SERTEIS . LAETI . N . . . .
HOC . FVERIT . GRATV . . . .
. . . .
. . . .

Misit Cl. Franciscus Eques Victorius.

Lapis eximius utrinque scriptus, mense Octobri huius anni MDCCIL. *Romae effossus in platea, quae* Termini *dicitur a Thermis Diocletianis, dum veteres lateres pro quodam aedificio exstruendo quaererentur, iubente Emin. S. R. Ecclesiae Cardin. Principe* GONZAGA VALENTI *etc. etc.*

SANCTIS MARTVRIBVS

sic PAPRO ET MAVROLEONI

DOMINIS . VOTVM . REDD ☧

CAMASIAS QVI ET ASCLEPIVS . ET VICTORNA

NAT . H . DIE . IIIX KAL . OCTOB

PVERI . QVI VOT . H . VITALIS . MARANVS

ABVNDANTIVS . TELESFOR

In al-

In altera lapidis parte dextrorsum in imo facta.

DOMNIS SANCTIS

PAPRO . ET . MAVROLEONI

☧ MARTVRIBVS ☧

CAMASIVS QVI ET ASCLEPIVS ET VICTORINA VOT . ЄI EDII

NATAL . HAB . Ð XlII KAL OCTOB

A RANE . VITALIS

NTI . TELESPOS

Dum haec excuderentur pridie Nonas Novembr. praenotati anni, adlatas Inſcriptiones per Epiſtolam miſit Praeſul ob eximiam probitatem ac doctrinam, atque edita inſignia Opera Celeberrimus Bottarius, qui vidit, & adcurate exſcripſit. Vides Sanctis Martyribus, qui et domini adpellantur, ex ritu apud Chriſtianos antiquiſſimo, Vota reddita: quae cum reliquis animadverſione dignis, alibi in Syntagmate Inſcriptionum antiquarum, Deo dante, expendentur. Princeps Ferrarienſis Eccleſia dedicata eſt, ut aiunt, *S. Marolino Martyri*, cuius ad hoc tempus nullum inventum fuerat monumentum. Ex hoc itaque idem s. mavroleo Martyr innoteſcit, & probatur.

INDEX
SYMBOLARVM
QVAE
IN HOC VOLVMINE QVARTO CONTINENTVR

I.

MONVMENTA ANTIQVA

Tabulis aereis incisa

ADLATA ET INLVSTRATA

In hoc SYMBOLARVM VOLVMINE IV.

II.

II.

III.

MONVMENTA ANTIQVA

Tabulis buxeis incisa

I.

II.



IO. BAPT-

IO. BAPTISTAE PASSERII

PISAVRENSIS

Protonotarii Apostolici, ac Regiae Societatis Londinensis Etruscae Cortonensis, & Olmuciensis Membri

DE HEBRAISMO

AEGYPTIORVM

DISSERTATIO

Ad Religiosissimum Doctissimumque Virum

PAVLVM M. PACIAVDIVM

CLER. REGVLAREM TEATINVM




DE HEBRAISMO

AEGYPTIORVM

CAPVT I.

Ad Linguam Etruſcam explicandam maxime confert non modo Lingua Graeca, ſed etiam Hebraica; cuius voces, quae in Latina Lingua adhuc durant, non aliunde, quam ab Etruſca, illi obveniſſe credendum videtur.



QVVM ſaepe ſaepius, PACIAVDI CLARISSIME, in Etruſcorum Inſcriptionibus elucidandis linguam Hebraicam adeundam duxerim, atque inde auxilia poſtulaverim; non defuere Viri, & quidem docti, qui laborem hunc meum reprobarunt, quum in tanta Hebraeorum, & veterum Etruſcorum, non dicam diſcordia, ſed ignoratione, nullam Linguae adfinitatem ſibi perſuadeant exſtitiſſe; quippe qui nec ducti ratione, nec admoniti experimento, in perdifficili hac quaeſtione ſententiam proferunt, cui ipſe eventus contradicit. Quis enim negabit ſermonem Latium Hebraicis vocibus non redundare? His paſſim, & ignorantes proferimus, & quarum

 ſpe-

specimen tumultuarie, atque extemporanee collectum peculiari Tractatu de Hebraismo Latinorum mox proferemus. An non & ipse Latinus, a quo nisi originem, saltem denominationem Latina Lingua receperat, Hebraico nomine est nuncupatus? A *Latio* enim dictus est, in quo nempe Saturnus latuerat, ut antiquis omnibus, praesertim vero Servio in VIII. Aeneid., & Ovidio in Fastis persuasum est. Latium vero est a לוט lut, *abscondere*, *operire*, *occultare*. Ipse Romulus Latini nominis restitutor, & propagator, Romanorumque parens, Hebraica dictione dictus est diminutive a רום rom, *altus*; unde vulgo etiam *Altellus* nuncupatus est, ut a Festo testatum accepimus. At certe Latium non aliunde, quam ex Etruria, voces istas excepit, quum ante Latinam Linguam Tuscus sermo Italiam fere totam obtinuerit, ut multis testimoniis in nostris Roncalliensibus probatum est. Non igitur aliunde voces istas Roma suscepit, quam ex priore Lingua, omnia tunc obtinente, ex cuius corruptione, atque exterarum commixtione, sermo Latinus emersit. Sermonem vero Tuscum ex Graeco plerumque constare non modo non dubito, sed etiam experimento monstravi in peculiari iam edita elucubratiuncula de Hellenismo Etruscorum. Sed cum istorum derivatio ad ea tempora referenda sit, in quibus Lingua Graeca longe difformior erat, atque diversa ab illa, qua Homerus usus est, multumque adhuc referret de origine primigenia, ad quam de proximo adcedebat; consequens est, ut Hebraismum maxime redoleret.

C A-

CAPVT II.

Propugnatur Hellenifmus Etrufcorum ex eorum origine, cum plerumqoe tradatur a Graecis ortum habuiffe.

VT vero fcrupulum omnem ab iis, qui nullam omnino adfinitatem inter Hebraicam, Tufcamque Linguam adfequebantur, removerem, placuit peculiari exercitatione illam ab omni fubfpicione vindicare, & quo pacto id acciderit, in medium proferre: ad quod maxime conduceret, fi Etrufcorum originem indubitatam, auxilio veterum Scriptorum, adfequi valeremus. At video quaeftionem hanc, quo magis pertractatam, novis femper opinionibus, atque auctoritatibus fuccedentibus eo fieri obfcuriorem. Ea tamen omnium fententia magis animum captivat, quae Etrufcos Graecorum Colonos fenfim huc commigrantes perhibet, quod triplici teftimonio facile comprobatur; quorum praecipuum confiftit in uniformi Scriptorum confenfu, qui plerafque Etruriae Vrbes ab Achaeis, Cretenfibus, Peloponnefiis, praefertim vero a Lacedaemoniis conditas memoriae tradiderunt. Horum fuffragiis adcedit probatio Graecae originis, quam nobis facit ipfe frequens Hellenifmus, ubique in Etrufca Lingua confpicuus: quem, adverfus Praeftantiffimum GORIVM noftrum infeliciter impugnatum, eadem tractatione de ETRVSCORVM HELLENISMO defendere ftuduimus. Tertium vero, atque omnium validiffimum Graecae originis argumentum, eft Graecia ipfa tota in Etrufcorum moribus infufa, quorum integram imaginem, veluti in quodam facrario, ad haec ufque noftra tem-

pora conſervatam, brevi in omnium conſpectum revelabimus in ingenti Theſauro Vaſculario eiusdem Cl. Gorii ſtudio, & munificentia ex toto fere Orbe in Etruriam revocato: in cuius ingentiſſimo adparatu vetus illa Natio rediviva eſt; nec tantum oſtendit quid olim factum ſit, ſed quid etiam cogitarit: ut iam citra iactantiam liceat nobis Etruſcis adſerere antiquitatem Gentis noſtrae latius patere, quam Romanam. At caerimoniae in Ceramicis illis operibus depictae, adeo Graecis conformes ſunt, ut fere ſemper illius gentis Scriptores adeundi ſint ad illa illuſtranda. Quid dicam de inſculptis Monumentis? Nonne divinam Iliadem, & privatae vitae moderatricem Odyſſeam puram putam, totam, integram, in illis non intuemur, ipſumque Homerum quodammodo Artifici Tuſco imminentem, ducentemque ſtylum, non adgnoſcimus, ac reveremur? At contra, qui fuerint Lydii, & Chananaei, unde aliqui Tuſcos deducunt; quibuſque moribus uſi ſint, minime adſequimur, & nomine tenus ignoramus. Nulla itaque ratione adduci poſſumus, ut ea quae oculis patent, & veluti manibus contingimus, dubiis, atque ignotis praeferamus.

CAPVT III.

Defenditur Hebraiſmus Etruſcorum, ex quo tota Graeca Lingua Hebraicis vocibus abundaverit; idque longa Graecorum nominum enumeratione demonſtratur.

SVpereſt, ut diligentius perſcrutemur, qua ratione Hebraiſmus invaſerit Graeciam, unde in Italiam traiecit; quod experimento, & ratione ſimul adſe-

adſequemur. Experimento inquam, quum tota Graeca Lingua Hebraiſmo redundet: quod praeter Voſſium, Marshamum, Bochartum, alioſque primae notae viros, integro Lexico veluti ex profeſſo demonſtravit Avenarius. Ipſa quoque veterum Heroum, Vrbium, Montium, & Fluminum Graecorum nomina ab Hebraico ſermone petita ſunt: in cuius rei gratiam paucula ex multis in medium adferemus.

ACHELOVS, a נחל Nachal, *torrens*, unde & Nilus.

ASOPVS, ab אסף Aſaph, *colligere*; unde אספים Aſupim, *collectiones*.

AESON, ab אסון Aſon, *Mors*, quaſi *mortuus*; unde magicis carminibus in iuventutem rediiſſe fabulabantur.

ARACNE, ab ארג, Arag, *texere*; unde Latinis *aranea*.

AGAMEMNON, ab אגד, Agad, *congregare*, & *congregatio*; metaphorice *agmen*, *turma*, *exercitus*. Et מנה, Manà, *conſtituere*, *praeficere*, quaſi *coetui*, ſeu *turmae praefectus*.

CALLIRHOE idem ſonat Hebraeis, quod & Graecis; nam illis *pulchre fluens*, a ΚΑΛΩΣ *pulcer*, & ΡΕΩ, *fluo* ab Hebraeis כלל Calal eſt, *perficere*, *adornare*; unde & כלה Calà, *Sponſa*, ab ornamentis. Sed רוה Ravà, *rigare* ſignificat.

Pisa, unde & urbs Etruriae, & nostra Pisaurum nomen nactae sunt, est a פִּישׁוֹן *Pison*, fluvius celebris ex Genes. 2. ita ab aquarum multitudine nuncupatus.

Tenarus, Inferni ostium, quem ad instar camini describit Claudianus de Rapt. Proserp. a תנר Thanar, *furnus*.

Peneus, a פנה Panah, *diluere*, *expurgare*; unde & Panisus.

Cefisus, a כפס, Caphas, *submergere*.

Salamina, a שלם Salem, *salvus*, *sospes*, *pacificus*; quod primum ad eam adpellentibus, salutem, & requiem praestiterit.

Paros, saxosa, & marmoribus celebris, a פרש Parase, *frangere*; vel quod fracta videatur, vel mare frangat.

Naxus, a נחוש Nacuse, *metallum*.

Dores, a דור Dor, *progenies*, *Coloni*, *peregrinatio*.

Multo plura, & fere omnia Graeca nomina, huc revocare datum esset, nisi multa ex iis, veteri nomine posthabito, novitia adpellatione a Graecis mediae aetatis donata essent; vel ita ad illorum pronunciationem adcommodata, ut omnino a primaeva origine descivisse videantur.

Ipsa quoque ratio evidentissime demonstrat Grae-

cam

cam Linguam plus ceteris Hebraiſmo redundare debuiſſe ob incorruptam illam, atque immediatam originem, quam Graeci referunt Iavano nepoti Noe. Conſentiunt quippe Interpretes divinarum Scripturarum, hunc Iapeti filium, cui Aſia minor contigerat, Ionios procreaſſe; unde ſenſim adſtantes Inſulae, dein Macedonia, Boeotia, atque Achaia frequentari coeperunt. Manſit diu cunctis Graecis derivatum a Iavano *Iaonum* nomen, in tantum, ut Heſychius in ΙΩΝΕΣ tradat, Achaiam ipſam aliquando hoc nomine audiiſſe; & Strabo in Boeotia Ionum agrum collocarit. Homerus quoque, ſive eius nomine Auctor in Hymno Apollinis Deli, incolas ΙΑΩΝΕΣ adpellat. Quin & idem Strabo, Plutarchus, Heraclides Ponticus, & Herodotus Lib. I. univerſam Graeciam, qua citra, qua ultra mare ſitam, Ioniam olim nuncupatam fuiſſe tradiderunt, eodemque nomine diu poſt a Barbaris Graecos omnes fuiſſe adpellatos, ut in Acharnanibus tradit Scholiaſtes Ariſtophanis. Quid plura? Sacer ipſe Textus Graeciam omnem *Iavan* adpellat. Sic Danielis Cap. VIII. Alexander Macedo nuncupatur *Rex Iavan*. Superſunt quoque non pauca filiorum nomina in ipſis Graeciae Vrbibus, & Populis; nam *Elis* eſt ab *Eliſa*: *Dodona* eſt a *Dodanim*, *Creta* a *Cettin*, & alia non pauca, quorum examen ſacri Interpretes diligenti ſtudio proſequuti ſunt.

CAPVT IV.

Hebraiſmus Graecorum derivatur ab illorum primaria origine, quum totus adhuc Oriens fere Hebraice loqueretur; quod oſtendunt nomina propria Locorum, atque Heroum, quae Hebraiſmum ſonant.

NON aliam vero Linguam a Iavano, eiuſque filiis in Graeciam introductam fuiſſe, quam quae in toto fere Oriente obtineret, facile coniectari poteſt. Hebraicam nempe in multas, ac varias dialectos deformatam, quot fuere familiae illae, quae terrarum Orbem inhabitandum ſuſceperunt; de qua pluribus infra dicturi ſumus. Manſiſſe tamen in omnibus ſubſtantiam Hebraicae Linguae, quam non niſi longo temporis intervallo poſteri illorum deformarunt, facile oſtendunt ipſa nomina propria omnium pene deſcendentium Noe, & praeſertim *Iavani*, quae omnino Hebraica ſunt, אלישה, תרשיש, כתים, דדנים, Eliſa, Tarſis, Chittim, & Dodanim. Ipſa quoque nomina propria locorum totius fere Aſiae, quanquam longe poſt Linguarum diviſionem excogitata, & plerumque a loci natura deſumta, originem referunt Hebraicam, quod pauculis exemplis, quae extemporanee occurrunt confirmamus; nec enim otium vacat plura diſquirere.

Amanvs, Mons, ab המן Haman, *fructificare*.

Bathan, unde Bathanei, Ptolemaeo natio deſertis ſepta, a בתה batha, *ſolitudo*.

CAVCASVS, a כוכב Cocab, *ſtella*; unde כוכבים Cocabim, *ſtellae*, quarum ſtudium in eius ſummitate frequentatum eſt.

CASIVS, mons altiſſimus, Plinio Lib. v. Cap. 22. a חסד chaſadh, *tegere*, quod diu Solem tegat.

CAPPADOCIA a קפדה Capadah, *diviſio*, quod montibus altiſſimis vallata a ceteris Provinciis ſeparetur.

CHARRAE, Civitas, a קרת Cheret, generico nomine Civitatis; unde קריתים, & קריות Chiriataim, & Cherioth aliae Vrbes denominatae ſunt: ſeu potius a חרבה Carabà, *ſolitudo*, qua vallatur.

CABORVS, fluvius Armeniae, a כביר Cabir, *copioſus*, *adfluens*.

ARAXES fluminum vehementiſſimus, & *pontem indignatus*, ab הרס aras, *erumpere*, & *diruere*.

RHODOPE a רדף *radaph*, ſequi; nomine indito ab Orphei fabula.

NIPHATES Aſſyriae terminus, quem Graeci a nivibus dictum tradunt, a נפת, nephet, *terminus locus terminalis*.

TYRVS Phoeniciae, & Tyras in Ponto a טיר Tyr, *arx*, *caſtellum*, *propugnaculum*. Hinc Thyatira, Phoeniciis dicta צור Tzor, hoc eſt *petra*, *ſaxum*.

Ni-

NISIBI, a נציב Netzib, unde נצבים Netzibim, *caſtra*, ſtationes militum.

Ab אבן, heben, & אבנים habanim, *ſaxa*, & *loca ſaxoſa*, dicti ſunt Adiabeni, Acabeni, Agubeni, Ruabani populi Armeniae, Syriae, & Arabiae montana incolentes, a Ptolemaeo memorati.

SAOCORVS Armeniae fluvius a שיחור *Schicor*, quo nomine a limi nigredine etiam Nilus adpellatur.

Mallos, Magarſos, Tarſos, Tinos, Saros, Adaria, Cybira, Tabe, Doron, & mille alia, vel Hebraica ſunt, vel redolent Hebraiſmum; quae ne nimius ſim, & longius a propoſito abeam, miſſa facio. Haec omnia clare oſtendunt Hebraicam Linguam, quamquam variis pronunciationibus vitiatam, diu toto Orbi communem fuiſſe. Ne tamen redarguamur audaciae, quod a ſacrarum Litterarum traditione recedamus, quaſi contra illarum auctoritatem, Linguarum diviſionem impugnemus, aliquid nunc de illa dicendum erit.

Putant aliqui ſeptuaginta Familiarum Idiomata in Babelicae Turris aedificio mirabiliter excitata, adeo inter ſeſe repugnaſſe, ut ne vel minimum quidem veſtigium primigeniae conſervarint. Alii contra, quibus adhaerere video maiorem Interpretum partem, quos hic adducere longum foret, putant, neutiquam novas linguas creatas; ſed veteris uſum confuſum. Geneſ. 11. *Deſcendamus* ונבלה venabelà, *& confundamus ibi labium ipſorum .... & idcirco vocatum eſt nomen eius* בבל Babel, *quia ibi confudit Dominus labium ipſorum*. Eſt autem

autem haec vox a בלל balal, *confundere*, & *commiſcere*: quod longe abeſt ab illorum idea, qui linguas novas ibi creatas putant, Sinicam, Scythicam, Illyricam, Graecam, Germanicam, denique & Belgicam; quod ullo ne argumento fulciatur, ipſi viderint, qui talia ſcripſerunt. Confuſionem hanc, quidem non ſine miraculo exſtitiſſe fatemur omnes. Sed quod minore miraculo exſtare potuit, nulla ratio ſuadet, ut vehementiori, ac magis ingenti factum eſſe reputemus. At experientia docet Linguam eandem variis ſpiritibus, & accentibus prolatam, vix ab alio percipi; ut nos Itali vix intelligamus Britannum Latine loquentem. Teſtimonio Syrorum Grammaticorum tradit Georgius Amyra in Inſtitutionibus Chaldaicis linguam illam toto Orbe diffuſam, ubi duo ex peritis ſimul convenirent invicem loquentes, minime percipi. Si huic diſcrepantiae addamus inflexiones novas, atque hactenus ignotas, ſi variam ſyntaxim, ſi metaphoras, ſi figuras inuſitatas, ſi novas verborum circumloquutiones, Lingua eadem iam confuſa eſt, ut de illa Sacrae Scripturae teſtimonium verificetur. Ita igitur rem ſeſe habuiſſe mihi ſuadeo; quod probat evidenter ipſa Lingua Chaldaica, quam unam ex primitivis exſtare conſentiunt Eruditi, ut iure merito de primatu cum Hebraica contendat; atque inde progenitae ceterae Linguae Orientales, quae adhuc poſt tot viciſſitudines maximam oſtendunt cum Lingua Hebraica adfinitatem. Quod adeo verum puto, ut ſi Lex Moyſi illius aetate evulgata fuiſſet, omnis fere Natio haud difficilliter ſubiectam oculis intelligere potuiſſet, in quo conveniunt Hebraeorum Magiſtri in Lutz. Cap. VIII. & in Beracoth Cap. II. & aperte dicitur in Ioſephoth: *Omni lingua data eſt*

est Lex in Sinai; quia singula praecepta audiebantur septuaginta Linguis.

CAPVT V.

Potissimum vero a Coloniis Aegyptiorum in Graeciam derivatis.

SI quae tamen natio Linguae mutationem pati debuerat, ea profecto erat Graeca, quae tota mari pervia, & commercio exterarum Nationum, propterea que & incursionibus exposita, paullatim ex tot tantisque diversis dialectis, novum facile, atque inconstans quid nancisci debuerat, ut fere prima omnium patriam linguam immutaret. Sed factum est, ut ex societate Aegyptiorum, apud quos Hebraismus tenacius retentus est, ut infra probabimus, linguam hanc apud ipsos coulabentem restauraverint. Hoc praecipue contigit, cum Aegyptiorum Coloniae multa Graeciae loca obtinuerunt, uti praecipue colligitur ex Diodoro Siculo Lib. I. „ Osiris peragravit ceteras Asiae Natio-„ nes, atque per Hellespontum in Italiam transi-„ vit. Licurgum in Thracia Barbarorum Regem sibi „ obsistentem occidit. Illi provinciae Maronem [Ae-„ gyptium] iam senem praefecit, qui aedificavit „ civitatem ab ipso Maroneam vocatam. Mace-„ donem filium Regem statuit eius provinciae, „ quae ab eo Macedonia dicta est. Triptolemum (pa-„ riter Aegyptium) colendis Atticis agris praefe-„ cit: „ & rursus „ Tradunt insuper plures ex Aegy-„ pto Colonias per universum Orbem diffusas; „ nam in Babyloniam Colonos traduxisse Belum, „ Neptuni, ut volunt, Libyaeque filium, qui se-„ dem urbi pone Euphratem elegit. Ferunt etiam

„ Da-

„ Danaum ex Aegypto profectum, antiquissimam „ fere urbium Graeciae Argos condidisse. Colchorum quoque gentem, quae in Ponto est, Iu- „ daeos insuper, qui Arabiam inter Syriamque „ consedere, ab ipsis testantur transmigrasse.... „ Quin etiam Athenienses Colonos Saitarum, Ae- „ gyptiae gentis esse, adserere nituntur..... „ Petes enim Menesthei, qui ad Troiam militavit, „ pater, quum esset Aegyptius, postmodum Athe- „ niensium Civis, & Rex factus est. „ Similiter, & Erechteum tradunt, Aegyptium genere, Atheniensibus imperasse. Multa quoque de hoc testimonia decerpere possumus ex Platone, qui Graecos Aegyptiorum Colonos fuisse passim testatur, potissimum in Atlantico.

CAPVT VI.

Insuper a studiis, artibus, & religionibus, quae ex Aegypto in Graeciam traductae sunt, ostenditur.

Religiones quoque passim ab Aegypto in Graeciam transfusae, non modice conferunt, ut probatum habeamus etiam linguam illuc demigrasse. Praecitatus Diodorus Siculus manifeste testatur loco citato, Deos omnes in Aegypto natos esse; atque inde eorum cultum, & nomina in ceteras Gentes derivasse. Orgia quoque inde in Graeciam transfusa testatur. „ Quapropter cum Graeci „ ea ex Aegypto transtulissent, huic quoque Phallo „ honorem impenderunt, ea in sacris caerimo- „ niis *Phallon* adpellantes „ Hanc enim vocem ex Hebraeo descendere, infra demonstrabimus. Sacra quoque Eleusina ab Aegyptiis in Graeciam

trans-

translata sunt. Idem Diodorus Sicul. „ Dicunt Erichtheum adtulisse ex Aegypto frumentum Atheniensibus propter cognationem; obque id beneficium „ eis Regem constitutum, qui sumto regno, docuit eos caerimonias, ac mysteria Cereris Eleusinae ab Aegyptiis translata „ Divus quoque Clemens Alexandrinus Stromat. Lib. v. huius derivatae religionis ex Aegypto in Graeciam luculentum tradidit testimonium, ubi *de Litteris Ephesijs* sermonem facit. Hoc nomine intelligebantur, ut ipse testatur, traditiones quaedam, & precationum formulae, quae ex Aegypto Ephesum traductae, inde *Ephesiae* dictae sunt, ubi per totam Graeciam disseminatae sunt, iuxta quas Branchus Sacerdos Milesius, quum magna annonae caritas populum urgeret, pompam instituit, in qua ille ita clamabat: „ Canite, o pueri Hecaergon. Populus vero „ e contra clamabat, Bedis, Zapht, Chton, Plectron, Sphinx, Cnachzbi, Chtyptes, Phlegmo, „ Drops. Deinde Prien clamabant, Marptes, „ Sphinx, Clopo, Zinchthedon „. Quis vero inde non adgnoscit una cum religione etiam linguam commigrasse?

CAPVT VII.

Spartiatae Hebraeorum consanguinei habebantur; quod confirmat obvius in eorum nominibus Hebraismus. Id etiam observatur in linguae Phrygiae vestigiis.

SED non ex uno argumento desumitur Graecorum Hebraismus, qui adeo in Etruscam linguam influere potuit. Constans enim est opinio Spartanos, a quibus plurimae Coloniae in Italiam dedu-

deductae ſunt, praecipue vero in Etruria, atque Campania progeniem Hebraeorum fuiſſe, luculentum de hoc teſtimonium habemus Machabaeorum Lib. I. Cap. 12. ubi adfertur epiſtola Ionatae ſummi Sacerdotis ad Spartiatas miſſa, in qua illos vocat fratres : *Spartiatis fratribus ſalutem . . . . . . quoniam eſtis fratres noſtri* ; quapropter teſtatur illorum ſemper memoriam habitam fuiſſe in ſacrificiis. Huic vero epiſtolae ſuccedit altera, quam Rex Spartiatum Ionatae reſcripſit : *Inventum eſt in ſcriptura de Spartiatis, atque Iudaeis, quoniam ſunt fratres, & quod ſunt de genere Abraham*. Quaerunt vero Eruditi, quo tempore haec diviſio facta ſit, cuius in Scriptura altiſſimum habetur ſilentium ; duo tamen omnium probabiliores ſententiae adducuntur, quarum una fulcitur auctoritate Strabonis Lib. x. adſerentis, Cadmum in Graeciam adveniſſe cum magna ſociorum manu, & praeſertim itineris ſui ſocios habuiſſe Arabes, qui ex Abrahamo, ut plurimum origiuem trahunt. Adſtipulantur ea, quae de Cadmo Spartanorum Conditore tradit Apollodorus in Bibliotheca Lib. III. nam ex diſſeminatis hominibus, qui armati e terra prodierunt, unum nominat, qui cum aliis quinque ſuperſtes fuit, *Vdum* nuncupatum, qui facili mutatione idem ac Iudaeus eſt. Altera opinio fulcitur auctoritate Diodori Siculi, adſerentis aliquando Aegyptios advenarum turbam, regnum totum & multitudine, & novis religionibus perturbantem, eieciſſe, quorum melior pars ſub Danao, & Cadmo in Graeciam conceſſerit, reliqua Moyſem ſequuta, Iudaeam tunc deſertam occupaſſe. De hac tamen diviſione nec verbum quidem in Scripturis habemus. Immo fere conſtat univerſum Populum Iſrael, Moyſem fuiſſe ſequu-

tum. Vna tamen ſupereſt via, qua ſententiam hanc defendamus; nam facile potuit fieri aliquos ex Hebraeis magis in ſuperſtitionem pronos, vel ſponte ſeceſſiſſe, vel a Moyſe fuiſſe reiectos, qui tanquam transfugae computati non ſunt in Populo. Vtcumque interim res ſe habuerit, quum Spartani Hebraeorum genus eſſent, conſequens eſt etiam patriam linguam ſimul adduxiſſe, quam tamen bellis, foederibus, connubiis, commerciis, paullatim immutarunt. Ceterum in ipſis Spartiatum nominibus ſuperſunt manifeſta Hebraiſmi veſtigia, ut ex ſequentibus patet.

Menelavs, ex מנה manà, *donum*, & לעם laham, *populus*; unde Graecis ΛΑΩΣ, quod idem eſt ac ſi dixeris *donatus populo*.

Leda Caſtorum mater, a לדה Ledah, *puerpera*.

Zizamenes a ציץ Ziz, *Corona*, & המון Hamon, *multitudo*.

Arevs ארי Ari, *Leo*.

Oebalvs, idem qui Hebraeis עובל Hobal.

Lacedaemon, compoſitum ex לאמים קדמנים *Populi Orientis*.

Myles a מלך Melech, *Rex*.

Capharevs עפר Haphar, *terra*.

Helena, ab אל El, *fortis*, & אשה Hiſcià, *mulier*.

At

At Phrygia, nescio quo fato, omnium maxime Nationum Asiae, Hebraismo redundavit; omnia enim illorum nomina paene ex Hebraico descendisse observantur, in cuius rei gratiam paucula haec exempla subiiciam.

PARIS פרש Parasc, *eques*, *miles*, *catafractus*.

SARPEDON compositum ex שר פדן Sar Paddan. Prima vox, *principem esse* significat, secunda locum inter duo flumina inclusum: Interamnam diximus; Graeci ΜΕΣΟΠΟΤΑΜΙΑΝ. Forte etiam Phryges Padani dixerunt terram sitam inter Simoin, & Xantum. Inde Padus Italis; sed de hoc fusius in Tractatu *de nominibus Vrbium, & Locorum Italiae*.

ASTIANAX *Regem Vrbis* significat. *Asta* enim Phrygiis, Aegyptiis, Persis, & Graecis *Vrbem* significabat. Hinc *Hasta* Vrbs Italiae. Anas vero est ab Hebraico אנוש Enosc, *vir*; unde אשה *Hiscià*, *femina*; antonomastice sumitur pro *Rege*, aut *Regina*, unde transiit ad Graecos ΑΝΑΞ, & ΑΝΑΣΑ; quemadmodum ΒΑΣΥΛΕΥΣ, est ab alia Hebraica voce בעליל Bahelil, *Dominus terrae*.

IASIVS ישש Iasesc, *senis*, *longaevus*, *antiquus*.

CAPYS חפשי Capesci, *homo liber*, a חפש, Capesc, *libertas*.

ABAS אב Hab, *Pater*.

OROS Ductor Classis Lyciae apud Vergilium, quasi *splendidus*, ab אור Hor, *splendor*.

Ida mons altissimus, איד Hid, *nubes*.

Elymus, אל Hel, *fortitudo*. Hinc. אלים Hellim, *fortes*.

Assaracus ab אשר Asciar, *felicem reddere*; unde אשרי, hascerì, *beatus*, sive a שרה Sciarà, *regnare*.

Laomedon, Iudex Populi, a להם Laan Populus, & a דון Dun, *iudicare*; unde מדון Madon, *lis*, *controversia*. Insuper & vox מדינה Medina Vrbs, in qua Iudices consistunt, vox a Saracenis ad Hispanos transfusa, & apud ipsos, ut multa alia adhuc superstes. Ab eadem Hebraica origine est Graecum ΜΕΔΩ: *impero*, undè MEDDIX, MERRIS, & MEDIASTVTICVS apud Campanos, & Tuscos.

Ganimedes, Protectorem Senatus significat a גנן Ganan, *protegere*, *defendere*; unde Ganen *Clypeus*, & Medo, *iudico*, *impero*.

Ilus, unde Ilion, & Gens Iulia, ab אל Hel, *fortis*. Divinum etiam nomen a fortitudine compositum.

Aeneas, אנוש Henosc, *vir*.

Helenus, אל אנוש Hel henosc, *fortis homo*.

Helimus, idem quod אלים Helim, *fortes*, quercetum Lucus.

Coroebus, קרב, Cherab, *certamen*, *praelium*, quasi *certator*. Si-

SIMOIS, *laetus*, a שמח Samac, *laetari*.

SCAMANDER, שמן Sceman, *fertilis*.

ΠΥΡ. vox Phrygia, ut ait Plato in Cratilo, quae *ignem* significat, ab אור Hor, *ignis*.

MANIKA vox Phrygia, quae *magna* significat: vox in Latium transfusa; est vero a מנה Manà, *numerare*.

CAPVT VIII.

Nomina Graecarum litterarum Hebraismum redolent. Hae non a Chaldaeis, sed ab antiquis Hebraeis derivantur. Ex hisce fontibus Hebraismus in Graeciam derivatus, secessit in linguam Etruscam.

IPsa quoque Graecarum litterarum nomina, quae vel ab Aegyptiis, vel a Phoeniciis petita sunt, ipsum penitus Hebraismum redolent; nam sunt fere eadem, quae ab Hebraeis usurpantur, ac non ambiguum testimonium nobis reddunt Hebraicae linguae olim Graeciam obtinentis. Nec vero putandum est nomina Graecarum litterarum a recentionibus Grammaticis fuisse introducta; haud enim modica occurrunt argumenta, quibus illorum antiquitatem adstruamus. Antiquae sunt voces apud Aristophanem in Nubibus, qui equi nuncupantur a stygmatibus Σ, & K, unde ΣΑΜΦΟΡΑΙ, & ΚΟΠΠΑΤΙΑΙ nuncupabatur, propter ΣΑΜ, hoc est Σ, ut Dores pronunciabant, & K, hoc est ΚΑΠΠΑ, sive ΚΟΠΠΑ. Nomina quoque aliarum litterarum recensentur a Platone in Cratilo „ Scis enim, quod

„ Elementorum nomina dicimus; ipſa vero elementa nequaquam, quatuor dumtaxat exceptis: dicimus enim ε, & υψιλον, ομικρὸν, & ωμεγα. Ceteris autem tam vocalibus, quam non vocalibus, alias addentes litteras, ut βηταη. τ. α. nomina conſtituimus, atque ita proferimus. Verum quouſque elementi ipſius vim declaratam inſerimus, convenit nomen illud vocare ipſum, quod nobis ſignificet elementum, ut in βητα adparet, ubi additis η. τ. α. nihil obſiſtit, quin integro nomine natura elementi illius oſtenderetur, cuius nominum auctor voluit; uſqueadeo ſcite litteris nomina dedit. „ Eſſe vero nomina Graecarum litterarum ab Hebraicis expetita, duo facile oſtendunt. Maior Scripturae Hebraicae antiquitas, quam quod Graeca valeat praeſumere, cum libri Moyſis omnem cuiuſcumque Graecae ſcripturae antiquitatem omnium conſenſu longe tranſcendant: alterum vero, quod nomina litterarum Hebraicarum ſint imaginum ſignificativa, ut patet iis, qui huius linguae prima rudimenta ſalutarunt, quae ſignificationes etiam litteris Chaldaicis communes ſunt; at earum voces litteris Graecis accommodatae, nihil fere ſignificant: ex quo cognoſcimus, Graecos ab Hebraeis litteras excepiſſe. Sed qua aetate haec nomina incoeperint, liquido non conſtat. Si quid deferimus libro Zohar Amenunae ſenis, qui de rerum creatione ſcripſit, illa ante Mundi creationem exſtiterunt, quam ſive fabulam, ſive allegoriam refellit Rabi Eliezer cap. 3. „ Quouſque Mundus non eſt conditus, erat Deus benedictus, & nomen ipſius ſolum, hoc eſt ſola Divinitas. „ Antiquiora tamen haec nomina exſtitiſſe, quam quod Babylonica ſervitus fuerit, probat

bat

bat eorundem nominum natura, quae pura puta Hebraica eſt; cum e contra cuncta Maſoretum, vel Syriacis nominibus gaudeant, vel Hebraicis adeo corruptis, ut longe poſteriora reputentur; ita ut Elias Levita Germanus in Praefatione Maſoreth tradat, circa finem Templi ſecundi fuiſſe adinventa, ut genuina Linguae Sanctae pronunciatio, quae iam ſenſim ab uſu recedebat, diligenter ſervaretur; nam, ut ait, Bellarminus in Inſtitutionibus Hebraici, antiqui vocalium loco adhibuerunt א ה ו י.

Ne vero litteras Hebraicas a Chaldaeis una cum nominibus acceptas credamus, quae opinio Beato Hieronymo vulgo adpingitur, immo Hebraeis fuiſſe antiquiſſimas, multa perſuadent, Scripturamque Samaritanam medio tantum tempore exſtitiſſe, & primo conſtans eſt Rabinorum traditio, quam firmant Rabì Simeon Ben-Eliezer R. Eliezer, Ben-Parta R. Eliezer Modat, & R. Judi Hakkados, ſentientes legem ſcriptam fuiſſe a Moyſe ſcriptura Aſſurit; quibus accedit R. Levi Tractat. Meghila Cap. I. dicens „ Aſſyrica ſcriptura data „ eſt Lex, ut oſtendit prodigium litterae *Samech* „ quod prodigium explicatur in Tractatu Schiabath Cap. הבונה Habbonè, ubi dicitur litteras in geminis tabulis, tanquam utrinque perforatis, ex utraque parte adparere, ut non ſine miraculo interior lacuna litterarum clauſarum *Mem*, & *Samech*, veluti ſuſpenſa ſubſiſteret; quod minime explicari poſſet in Scriptura Samaritana, in qua eae litterae clauſae non ſunt; cum potius id prodigium in littera *hain*, quae clauſa eſt Samaritanis, veriſicari debuiſſet. Praeterea capitula columnarum, eo quod referat imaginem litterae ו *vau*, vocantur ווי

vavè , & ווהם vavehem , quasi ad imitationem huius litterae confecti , quemadmodum Divus Hieronymus vertit illud Exodi 38. 28. fecit ווים *capitella* , pro *columnis* ; hanc vero similitudinem minime desumere potuisset a longe diversa forma huius litterae apud Samaritanos . Etiam ex Iesu Christi testimonio desumi potest aliquod huius veritatis argumentum , ubi dixit „ *Iota unum* , *aut* „ *unus apex non praeteribit a lege* : ut significaret nihil , vel minimum ab ea detracturum . Haec vero sententia facile ostendit litteram י , quae omnium minima est , in Lege adparere descriptam . Nomine vero apicis non intelligit puncta Masoretica , quae nondum ea aetate introducta erant ; sed ipsum י *Iod* , quod interpositum litterae ש apicis figuram gerit , seu potius capita , quibus litterae quaedam non ad ornatum , sed ex ipsarum natura litteris praefiguntur , ut litterae ז *Zain* , quae proinde eo nomine , ac si dixeris clavam , adpellatur . Neque praetereunda est historia , quam in libro Arcae Noe referunt R. Azarias , & Zemuch David , inventum nempe aliquando fuisse tumulum cuiusdam Ducis Amasiae Regis Iuda , adposita inscriptione litteris Assyriis , quas vulgo Hebraicas vocamus , exarata . Hoc vero minime alienum a veritate reputabimus , si oculis subiiciamus antiquissimas illas scriptiones adhuc in Arabiae rupibus exstantes , quas a Kircherio in Oedipo referuntur , & explicantur , & Moysi contemporaneae reputantur , immo & eius iussa exaratae , ut testimonium aliquod peregrinationis ad posteros usque transmitteret , quarum sensus est . *Locus in quo septuaginta palmae* , *pluvia* , *manna* , ceteraque , quae licet nexibus involutae , formam tamen referunt litterarum Hebrai-

braicarum. Adeo vero conſtans fuit ſempet apud Hebraeos opinio de antiquitate ſcripturae *Aſurit*, ut gravis contentio ſit apud ipſos de antiquitate litterarum finalium ךםןףץ Chamnaphez; cum enim R. Ieremias, ſive ut alii volunt R. Chia, dixerit has quinque litteras eſſe inventum Zophim, ideſt Prophetarum, ceteri uno ore contradicunt, neminem Prophetarum novas litterarum formas induxiſſe, ut oſtendit R. Azarias „ Obtinet, ac ſu- „ perat ſententia Sapientium, legem datam eſſe „ litteris Aſyriis „ Nec facile meo iudicio credendum eſt Scripturam divinis teſtimoniis conſecratam, aliquem ex Scribis auſum eſſe immutare, aut in aliam formam tranſcribere, ne ſuſpicio novitatis populum perturbaret, & myſteria illa, quae in litterarum forma perſcrutari ſolent, & quibus aliquando etiam nos utimur ad eorum pervicaciam impugnandam, quae hic adducere non vacat, penitus ſubverterentur. Quapropter cum apud Divum Hieronymum in Prologo Galeato ſcriptum legamus „ Hesdram Scribam, legiſque „ Doctorem alias litteras inveniſſe, quibus nunc „ utimur „ commode intelligi poteſt non ex ingenio, aut arbitrio id effeciſſe, ſed dudum deſuetas, & veluti Babylonica ſervitute obliteratas, reſtituiſſe Samariticis eliminatis, ne cum illis, vel in hac re communicaret. Quum propterea harumce litterarum forma omnium antiquiſſima habeatur, nominaque litterarum adamuſſim earum imaginibus reſpondeant, evidens ſit nomina Graecarum litterarum a Iudaeis petita fuiſſe, atque Cadmeis adplicata, quo argumento utebamur ad Hebraicae Linguae influxum in Graecam demonſtrandum.

C A-

CAPVT VIIII.

Aegyptios Hebraica Lingua, vel altera illi simili loquutos, probatur ex illorum primaeva origine, a diuturna cohabitatione cum Hebraeis, & ab inverisimilitudine ipsius in captivitate alteram Linguam conservasse, cum praesertim in captivitate Babylonica Linguam patriam amiserint.

QVia vero, ut praemisimus, Hebraismum censemus in Graeciam non ab Hebraeis modo, sed etiam ab Aegyptiis delatum fuisse, quum inde tot Coloniae, mores, scientiae, atque instituta processerint; superest modo, ut Hebraismum Aegyptiorum ostendamus. Primum vero argumentum iure desumi valeat ab immediata derivatione Aegyptiorum a Mitzraim Nepote Noe, & a quo Aegyptus מצרים adpellata est. Si enim Graecia mari undique exposita, atque undique pervia, & quae toties rerum vicissitudinibus apta, hinc atque inde commigravit, & fere nunquam sibi constitit, bellisque, & populationibus obiecta, peregrinos Reges passa est; tamen tot vestigia primigeniae linguae a Iavano introductae, diu conservavit; quanto magis credendum est Aegyptum undique mari vallatum, & inclusum solitudinibus, ac veluti totius Mundi penetrale, quod perraro admodum externa bella petierunt, & solicitarunt magis, quam perturbaverint; demum omnium magister, nullius auditor, antiquam linguam sartam tectam custodisse?

Secundum argumentum eruitur a diuturna trium seculorum cohabitatione Hebraeorum cum Aegyptiis,

ptiis, cum tanto numero essent, ut Scriptura Sacra in principio Exodi utatur hac phrasi: *& impleverunt terram*; & quanquam in principio ab Aegyptiis saeparati constiterint; certum tamen est succrescente eorum numero, in servitutem fuisse redactos, ac Aegyptiis immixtos diu exstitisse. Scio quidem Rabinos, ut divinam Hebraicae Linguae originem, perpetuamque illius conservationem in Populo ostenderent, tradidisse, illam ad instar sacri depositi perpetuo ab Hebraeis custoditam, quos inter R. Eliezer in suis Capitibus Cap. 58. Melchita in Sectione *ingredere*, Talcuma in lect. *Balac*, Scir, a Scirim Rabà, quorum una est haec sententia „ Etiam in Aegypto non muta- „ vit suam linguam „ At duo sunt, quae nimis dubiam reddunt hanc traditionem; difficultas nempe huius Linguae conservandae, dum servitute premerentur, & exemplum eorundem Hebraeorum, qui servitutis Babylonicae spatio, certe multo breviore, eandem Linguam amiserunt.

Id quod attinet ad primum argumentum, animadversione dignum est, Hebraeos in Aegypto nullos libros habuisse, nullamque Legem scriptam, quorum usu antiquam Linguam conservarent; nulli praeterea inter ipsos fuere Magistratus, nulla Sacerdotia, nullae opes, nullumque otium, quo duplicis Linguae studium coleretur; sed omnibus invisi, atque operibus *luti*, & *lateris* addicti, & iam regno suspecti, nullam peregrinae linguae addiscendae commoditatem, aut potestatem factam sibi habuere, cuius usu facilius coniurarent. Nec credibile mihi videtur cum Hebraeorum masculini sexus infantes perimi iussi sunt, concessum fuisse Hebraeis matribus Aegyptiorum ancillis, ut

alie-

alienam Linguam in natos instillarent. Quotquot igitur ex Aegypto migrarunt, nullum ab infantia studium, nisi servile, cognoverunt.

At contra quum Babylonem traducti sunt, non modo Libros sacros, & Prophetas habuere, quorum adeo fuerunt studiosi, ut multos ex iis integre memoriae mandare consuescerent, atque, ut aiunt, a ב ad ל, hoc est a prima ad ultimam litteram; verum etiam plurima gentis suae monumenta, Librosque sacros, qui interierunt, quorum usu Linguam patriam tot seculis tenaciter cultam, & oraculis consecratam conservarent. Floruerant ante captivitatem inter ipsos Academiae, illaque praesertim sub Ezechia, de qua multa praedicantur apud Rabinos in Capite Chelek, ut iam „ „ ad ann. usque ad Bersabeae non inveniretur inter Hebraeos עם הארץ *populus terrae*, hoc est, *homo rudis*. Floruere inter ipsos familiae dignitatibus, opibus nobilitate, & Sacerdotio spectatissimae, atque in omni scientiarum genere excultissimae. Haec servitus non ultra aetatem unam producta est, in tantum, ut multi, qui pereri in servitutem traducti fuerant, & adhuc primae dignitatis memores, senes in patriam remeaverint. His minime obstantibus, vix pauci inventi sunt, qui post reditum Hebraice callerent, ut cum Libri Moysis publice legerentur, explicari per seniores, veluti per interpretes oporteret. Immo necesse fuerit, ut Biblia Chaldaice verterentur, quorum traductiones, quas *Targumim* vocant, & inter quas maxime probatur illa Onkelos, qui Pentateucum Chaldaice vertit, Ionatae Ben Vziel, qui Prophetas, & Iosephi Caeci, qui Hagiographa, quarum usu plebs Hebraismi inscia Libros

Moysi

Moysi haberet familiares. Libri quoque sacri, qui exinde conscripti sunt Chaldaice, Syriace, & Graece exarati habentur, ut iam Lingua purior Hebraica nonnisi multo studio compararetur a Doctis; quod manifeste ostendit R. Azarias in Maor Anaim Cap. 57. adeo ut ex tot, tantisque dialectis in Iudaea obtinentibus, nova, ut semper adsolet, Lingua emerserit, quam Hierosolymitanam vulgo nuncupant, quae Christi Servatoris aetate in usu fuit. Quis igitur credat eosdem Hebraeos in Aegypto commorantes, & tanto maioribus difficultatibus impeditos, Linguam peculiarem conservasse? Sunt equidem, qui id miraculo adtribuant, ut Lex Mosaica in ea Lingua scriberetur, quae a Deo parentibus primis data est. Sed non video cur ad miraculum recurramus, cum tot sacri Libri non minoris dignitatis, Chaldaice, & Graece scripti sint. Nonne & Evangelia, & Novi Testamenti monumenta eidem Legi parere debuissent? Evidens igitur sit Libros sacros semper ea Lingua conscriptos esse, quae ea aetate vulgaris, & obvia esset. Haec apud me tanti ponderis sunt, ut probabilissimum putem non alia Lingua Legem a Moyse fuisse exaratam, quam ea, qua Hebraei in Aegypto utebantur, hoc est, Aegyptiaca. Si quo tamen aliqua differentia exstitit inter Pharaonicam Linguam, atque Israeliricam, ea tamen meo iudicio non fuit, ut alter alterum non intelligeret, quum praecipue adeo diuturnae simul fecissent. Vt vero suspicionem hanc meam aliquo experimento demonstrarem, placuit voces quamplurimas ex antiqua Aegypto exceptas, quae mihi dum haec scriberem, ad manus pervenerunt, ad Hebraicas origines revocare; quas quum fere consonas compererim, in ordinem digessi, ut

quod

quod iam ſuſpicatus fueram, ad evidentiam uſque comprobarem.

CAPVT X.

Refelluntur obiecta, & exemplis uberioribus demonſtratur etiam Linguam Chananaeam Hebraicae fuiſſe adfinem. Id etiam probatur fragmentis Linguae Punicae, quae enumerantur, quaeque Hebraiſmum purum putum redolent.

SVpereſt, ut obiectis ſatisfaciamus, quae adverſus hanc noſtram ſententiam adduci poſſunt. Primum quidem omnium validiſſimum deſumitur ex Geneſi Cap. 42. 23. ubi filii Iacob inducuntur Ioſephum ſibi incognitum adloquentes: *neſciebant autem, quod intelligeret Ioſeph, eo quod* הַמֵּלִיץ hamelitz, *per interpretem loqueretur*. Diverſa ergo erat Lingua filiorum Iacob ab illa Ioſephi Aegyptie loquentis per interpretem, ab illa, qua ipſi loquebantur, & qua ipſi ſimul conloquentes, a Ioſepho intelligi non putabant. Sed facillimum eſt difficultatem diſſolvere; non enim impugnamus adeo inter ſeſe Linguas haſce repugnaſſe, ut quanquam ſubſtantia una eſſet, nonniſi difficulter unus alterum intelligeret; ſed regia dignitas poſtulabat, ut ad magis expeditam, commodamque diligentiam, Interpres utriuſque gnarus adhiberetur: quam ſententiam etiam graviſſimi Interpretes ſequuti ſunt, quum praecipue vis illius vocis non ſignificat *Expoſitorem*, ſed *Loquentem*, *Legatum*, & *Oratorem*, ut eſt in Lib. Iob 33. 23. „ Si fuerit pro eo Angelus loquens „ Sed potiſſima ſolutio difficultatis ex iis, quae praemiſimus, facile eruitur; non enim quaeſtio noſtra eſt de pri-

primaeva Lingua Patriarcharum ; ſed de illa Hebraeorum, quam Hebraei diuturna ſervitute contractam familiarem habuerunt, & quo Libri ſacri conſcripti apud nos adſervantur.

Secundā difficultas eruitur ex Pſalmo 80. 5. ubi de Ioſepho dicitur ,, *Cum exiret de terra Aegy-* ,, *pti, linguam, quam non noverat, audivit.* ,, Vnde colligunt Chananaeos Aegypto proximos diverſa Lingua uſos eſſe, quam quod in Aegypto vigeret; unde colligitur Linguas Orientis omnino inter ſe diſcrepaſſe. At qui ita arguunt, minime obſervarunt Euſebium, Athanaſium, Theodoretum, Euthymium, Hieronymum, Caietanum, potiſſimoſque Recentiorum manifeſte adſerentes, non intelligi hic de Lingua Chananaeorum; ſed de ſermone, quo Deus in Sinai cum Moyſe primum loquutus eſt, quem nemo ante noverat; nulla enim Lex ſcripta pridem data fuerat. Sed ubi etiam de Chananaea loqueretur, minime hinc refellitur coniectura, Hebraeos in Aegypto ſervientes, Aegyptiace fuiſſe loquutos. Immo ut verius loquar, hoc argumento mirifice fulcitur haec noſtra ſubſpicio. Conſtat enim Chananaeos linguam fere Hebraicam adhibuiſſe, ut conſtat ex eorum nominibus propriis locorum, atque Vrbium, quorum perpauca adferre non pigebit.

BENADAD, Rex Syriae בן הדד Ben Adad, filius Adad, qui Syriis Sol ab הדר Adar, *ſplendere*.

THOR Phoeniciis, *Taurus*, unde & Latinis. Sed תור Thor, invenitur etiam in Daniele Cap. 4. 22. & Cap. 5. 21.

NEEL

NEEL ESCOD, ideſt, *torrens Patri*, Fluvius Cananeae num. 13. 25. Sed utrumque ex Hebraico; nam Neel, eſt a נחל Nacal, *torrens*; Eſcol vero eſt idem אשכול Eſcol, *Botrus*.

CADES, קדש Cades. *conſecrare*.

PHARAN, פרש Pharas, *diſſipare*.

ENAC, Gigas, paene ענק Henac Hebraicum; unde ענקית Henacoch, *Gigantes*.

EDOM, אדום Adom, *ruber*.

HOR, Montis nomen, ab הר Har, *Mons*, unde ΟΡΟΣ Graecis, *Mons*; inde Piſaurus, & Metaurus, quaſi fluvius inter montes, & trans montes.

ARAD, ערד Harad, *aſinus ſilveſtris*.

ZARED, זרב Zarab, *diffuſio*.

HAMON, ארן Aren, Ornus, unde haec arbor dicta eodem nomine a Latinis.

BEER, באר Beer, *puteus*.

NAHAHEL, a נחל אל Nel, *torrens Dei*, ſive *torrens magnus*.

GAZZA, קצה Chaze, *finis terminus*; nam Syriae finis. Optime Torquatus noſter:

Gazza è Città della Giudea nel fine.

IABOS

Iabos, Iebuſeus, a יבס, *conculcare*; unde יבסי Iebuſi, *conculcans*.

Basan, בשם Baſciam, *aroma*; unde ΒΑΛΣΑΜΟΝ Graecis. Quanquam Voſſius hanc vocem derivet a בעל שמים Bahal Sciamaim, *Dominus Caeli*, quae derivatio nimis aliena videtur, & violenta; dixerim potius eſſe a voce Aegyptia *Bal*, quae *Myrrham* ſignificat, ut in ea voce demonſtrabimus, ac ſi diceremus *Myrrha caelitum*.

Ierico ירח Iareach, *Luna*.

Tyrvs Phoeniciae צור Tzor, quod Phoeniciis & Hebraeis *petram* notat.

Alterum quoque huius veritatis teſtimonium erui poteſt e Linguae Punicae fragmentis, quae Latini Scriptores nobis praeſervarunt, praeſertim Plautus in Poenulo, quae feliciter auxilio Linguae Hebraicae explicata ſunt; quanquam Lingua Punica, a Phoenicia in Africam traducta, multis corruptionibus obnoxia fuerit. Placet etiam nonnullas Punicas voces ab aliis Scriptoribus collectas adducere, atque in illis originem Hebraicam indagare; unde colligimus, quod ſicuti terra Canaan ante omnem Hebraeorum commercium fere Hebraice loquebatur; ita pariter Aegyptii ſimili Lingua uti potuerunt. En Punicae Linguae ſpecimen.

Mammon, apud Hebraeos *divitiae* adpellari dicuntur. Congruit & *Punicum nomen*, nam *lucrum Punicae Mammon* dicitur. Divus Auguſtin. Lib. 2. de Serm. Dom. in Mont. Cap. 14. Vere *Mammon*,

non Hebraicum, ſed Syrum eſt; ſed & Punicum, & Syrum eſt ab המן *Haman*, multiplicare, unde המונים Hamonìm, *divitiae*.

Baal, *Iovem* ſignificat, & Baal Samen, *Dominum Caeli*, quem Poenulus invocat apud Plautum. Videndus Div. Auguſt. de Civ. Dei Lib. iv. Cap. ii. Vox prima penitus Hebraica eſt; nam בעל Bahal *Dominus*; Samem vero שמים Sciamaim, *Caeli*.

Carthago Tyriis *Carthada*, contractum ex קרת חדשה Cheret Adaſcià, *Civitas nova*.

Birsa Arx Carthaginis בצרה Botzrà, *arx*.

Magalia, Poenis *Caſae*. Servius Aeneid. iv. 259. Hoc nomine etiam ſuburbium Carthaginis nuncupabatur, Megar Plauto. Eſt vero a גור, *habitare*, unde מגור Magòr, *habitatio*. Inde Graecis ΜΕΓΑΡΩΣ Domus, & Civitas huius nominis.

Svpheres Supremi Magiſtratus, a שפט Saphat, *iudicare*; unde שופטים Sophetim, *Iudices*. Hinc Suphetii Albanorum, & Saphinim Tuſcorum.

Hannibal eſt ex אני Anì, Claſſis, ſeu ut placet Voſſio ex חנן Kanàn, *gratia*, & בעל Bahal, *Princeps*, *Dominus*, quaſi *Princeps gratioſus*, ſeu *Princeps Claſſis*.

Azdrvbal ex אצר Atzar, *theſaurizare*; unde אוצר Otzar, *Theſaurus*, quaſi *Theſauri Dominus*.

Hanno ex eadem origine, unde & Hannibal.

Amil-

Amilcar, quasi המל ברה Camal Carà, *clementia gaudens*. Prima vox notat *indulgere*, secunda *laetari*.

Alma Punice, *Virgo* ex Divo Hieronymo in Isaiam. Vox penitus Hebraica est; nam עלמה halma, *Virgo*: Inde & *Alma* Latinum.

Ave vox Hebraea cum ceteris fere omnibus, quae habentur apud Plautum in Poenulo, quarum examen missum facimus cum earum Hebraismus pridem a doctis Viris deprehensum, iam evulgatum habeatur.

Tertium obiectum eruitur ex Prophetia Isaiae Cap. 19. 18. „ In illa die erunt quinque Civita- „ tes in Terra Aegypti loquentes Lingua Canaan, „ & iurantes per Dominum „ Ergo, inquiunt, Lingua Canaan, hoc est Hebraea (talis enim huius prophetiae sensus est) erat diversa a Lingua Aegyptiorum. At quis hoc unquam negaverit ea aetate quum haec scriptura adimpleta est? Putant enim hoc evenisse sub Ptolemaeis, qui Hebraeis summopere faventes, illos non modo in Aegypto admiserunt; verum etiam muneribus, & officiis dignati sunt, quod praesertim Alexandriae contigit, ubi primum ab Alexandro Magno habitare permissum, ut narrat Iosephus de Bell. Lib. II. & contra Apion. Lib. II. Ptolemaeus quoque Lagi filius centum millia Hebraeorum in Aegyptum admisit, ex eodem Iosepho Antiquit. Lib. XII. Cap. 1. & Aristea de Septuaginta Interpret. ex quibus triginta millia in exercitu habuit, & mili-

tiae Praefectos ex eodem Iosepho contra Apion. loc. cit. Philadelphus quoque, & Philopator illos insignibus beneficiis decorarunt, ut constat ex eodem Iosepho Antiquit. Lib. XII. Cap. 2. & Aristea. Quis autem non videt diversam fuisse illa aetate Linguam Hebraeorum, sive interim Hebraice, sive Syriace loquerentur, a Lingua Cophta, seu Graeca, quae in Aegypto tunc obtinebat, ut evidenter demonstrant Ptolemaeorum nummi Graece signati. Sed Eusebius, Hieronymus, ac Cyrillus, aliique Interpretes, passim putant hanc prophetiam Christianorum tempora respicere, quum Aegyptus Regia Ascetarum, & Religionis emporium lingua Canaan, hoc est Fidelium loquuta est.

Quo tamen consilio in hisce vocibus Aegyptiis explicandis processerim, breviter expediam. Elegimus primo loco voces illas, quarum Aegyptiam explicationem antiqui Scriptores nobis tradiderunt; quorum praeterea sensus quum certus sit, certa quoque inde emergit explicatio. Secundam classem occupant voces, quas certo quidem scimus Aegyptias; sed illarum significationem nulli veterum tradiderunt; sed illam a verisimili coniectura desumentes, inde ad originem Hebraicam non difficili labore ascendimus. Cuiusmodi sunt Deorum nomina, quorum significatio, etsi nulli tradiderint, eruitur tamen ab uniuscuiusque natura. Huiusmodi vero Hebraicae explicationes non certae sunt, sed probabiles. Dubiae tamen sunt, quas adposuimus vocibus tertiae classis, quas neque certo scimus an revera fuerint Aegyptiae; sed probabili tantum coniectura ad Aegyptum revocavimus, eo quod pendeant a quibusdam ideis, quas ex Aegypto processisse scimus, cuiusmodi

sunt

ſunt nomina omnia ad fabulam Inferorum pertinentia, quam Graeci integram ab Aegypto tranſtulerunt. Credibile enim eſt nomina vetera ad admirationem conſervandam retinuiſſe: quod eo probabilius mihi videtur, quum eorum aliqua omnino Hebraica ſint, cetera vero Orientalem indolem, & a Graeca peregrinam redoleant. Quanquam non ignorem Grammaticos Graecos poſt Platonem ſequutos, Graecam originem in omnibus fere indagaſſe, quod aliquando feliciter ſuccesſit, eo quod idem nomen utrique linguae commune fuerit, vel ſi diverſum, explicaverit tamen notionem eidem rei convenientem. Si tamen feſtinato hoc labore, atque omnino repentino quidpiam adſequutus ſum, ut Aegyptiam Linguam oſtenderim, vel eandem cum Hebraea, vel illi ſaltem adfinem, id modo in Etruſcae Linguae gratiam praeſtitum referatur, ut frequens in illa Hebraiſmus, & qua via advenerit, cognoſcamus, neque nos, ſaepe in hac indagine verſatos, inaniter laboraſſe videremur.





LEXICON AEGYPTIO-HEBRAICUM NEMPE VOCUM AEGYPTIARUM *QUAE* EX HEBRAICA LINGUA *DERIVANTUR.*



A



ABATH. Plurali numero *Ebatichim*; ita apud Aegyptios vocabantur *pepones*, ut colligitur ex Numer. 2. 5. „ Recordamur piſcium, quos comedebamus in „ Aegypto gratis, & cucumerum, atque אבטחים „ abatichìm, peponum „ Vox iſta cum alibi non occurrat, & referatur ad fructum Aegyptiacum, conſentiunt Interpretes eſſe vocem Aegyptiam.

Abathos. Aegypti Insula, ita nuncupata, quasi invia; quia ad illam propter papyri copiam, & limi tenacitatem difficillimus pateret aditus. Hoc etiam nomine nuncupabant regiones maximis desertis vallatas, quae tanquam Pelagi Insulae utrimque separantur in Libya, ut tradit Strabo Lib. 17. & quae Abatha metaphorice ad similitudinem eiusdem Insulae nuncupantur. Nomen illi formatum est a densitate calamorum, & a terra argillosa; nam Hebraeis עבה haba, significat *densum esse*; & inde fit מעבה mahabèh, *terra tenax*, & *argillosa*. Vox ad Graecos concessit, quibus Plutarcho auctore in Problemat. ΑΒΑΤΟΣ, significat locum prae religione inaccessum; quanquam si illis credimus, formatus est ab A negativa, & ΒΑΤΟΣ, *accessu facilis*.

Abrech. Titulus eximii honoris apud Aegyptios, quo Genes. 41. 43. Iosephus a Pharaone donatus est ,, fecitque eum ascendere super currum ,, suum secundum, clamante praecone אברך Abrèch, ,, ut omnes genuflecterent ,, Variant Expositores in huius vocis explicatione, quam LXX. tanquam incognitam omnino praetermittunt, & Symmachus Hebraeam retulit. R. Kim chi, putat scriptum אברך, pro הברך, ut sit imperativus Hiphil, a verbo ברך genuflexit. Onkelos putant vocem esse compositam ex אב Ab, *Pater*, & רך Rech, *tener*, quasi pater prudentia, & aetate adolescens. Salomon Iarchì putat vocem רך Rech significare etiam *Regem*; unde id nomen pervenit ad Latinos. Quae explicatio recte congruit cum iis, quae ipse Ioseph de se ipso dixit Cap. 45. 8. ,, Dei vo- ,, luntate huc missus sum, qui constituit me, לאב לפרעה leau le Parhòh, in Patrem Pharaonis.

Huic

Huic ſententiae adſtipulantur etiam B. Hieronymus in Quaeſtionibus Hebraicis.

AETOS. Ita *Nilum* antiquitus nominatum fuiſſe „ tradit Diodorus Sic. Lib. I. „ Fluvium vero pro- „ pter curſus velocitatem, profunditatemque aqua- „ rum ΑΕΤΩΝ, tunc adpellatum, quod nomen „ *Aquilam* apud Graecos ſignificat. „ Hinc etiam tota Aegyptus, ut notat Stephanus, ΑΕΤΙΑ dicta eſt, quanquam illum non ab ea volucre; ſed ab Heroe huius nominis dictam putet. At valde dubito, nomen id retenta veteri ſignificatione, qua propter velocitatem fluvium illum *Aquilam* vocabant, ΑΕΤΩΝ Graece dixerint, quod ΑΙΓΥΠΙΩΝ Aegyptio vocabulo dicere debuerant, quod facile Aquilam notabat; unde Aegyptus dicta eſt. Vt enim tradit Heſychius ΑΓΟΡ Cypriis *vulturem* ſignificaſſe; quae vox eſt ipſum purum putum Hebraeum עגור hagùr, quo ſignificatur *Grus*, *Ardea*, *Anſer*, & univerſa avis longiſſimi volatus. Ab ΑΓΟΡ vero voce Cypriis uſitata, ΑΙΓΥΠΙΩΣ per compoſitum factum eſt.

ALECTO. Multas ex vocibus, quae ad infernam fabulam pertinent, inter Aegyptiacas computavimus; quia cum fabula ipſa ex Aegypto excepta ſit, credibile ſit nomina quoque peregrina retinuiſſe, quorum ignoratio fidem, & admirationem conciliaret narrationi. Suſpicionem hanc confirmat ipſe ſonus verborum a Graeca dialecto recedens, & Orientem referens. Praeterea certo ſcimus quaedam ex ipſis nominibus Aegyptia eſſe; ex quo facile arguimus, & cetera inde prodiiſſe. Iuvat hic Diodori Siculi auctoritatem referre, ut quae ſparſim dicenda ſunt, ex hoc loco confirmata ha-

ta habeantur . Sic ille in fine Lib. II. ubi de Aegyptiorum funeribus narrationem instituit „ Ante-
„ quam sepeliatur corpus, condicitur a Cognatis,
„ Iudicibus, & defuncti Amicis sepulturae dies.
„ Mortuum vere proprio nomine adpellantes, ad-
„ ferunt illum paludem transiturum, adstantibus
„ Iudicibus amplius quadraginta numero, seden-
„ tibusque in praeparato ultra stagnum emicyclo,
„ traditur navis ad id composita ab his, qui-
„ bus ea cura iniuncta est, regente Magistro, quem
„ sua lingua Aegyptii Cyronem vocant. „ Vnde & Orpheum cum hunc morem apud Aegyptios conspexisset, finxisse arbitrantur postmodum Inferos; & paulo post, ubi Graecorum sapientissimos enumeravit, qui sapientiae adquirendae causa diverterant ad Aegyptios, haec subdidit. „ Nam
„ Orpheum hymnos Deorum plurimos, Orgia, &
„ Inferorum fictionem inde exstulisse tradunt....
„ Impiorum vero poenas, & Campos Elisios, &
„ statuarum usum ab Aegyptiorum sepulcris sumta
„ introduxit. Mercurium quoque secundum anti-
„ quos destinantem finxit mortuorum animas. Erat
„ mos Aegyptiis, ut, qui corpus Apis reduceret,
„ aliquid prope adstanti Cerbero abscissum por-
„ rigeret. His ab Orpheo ad Graecos traductis,
„ Homerus Orpheum imitatus, idem in suo Poë-
„ mate scribens, ait Mercurium Cillenium animas
„ Heroum evocare, & virgam in manibus tenere. „ Et rursus post pauca „ sequebatur virens pratum, ubi
„ Iuniorum erant animae.... Pratum vero habita-
„ tionem confictam putant eorum, qui trans pa-
„ ludem delati sunt, quae Acherusia vocatur.
„ Ea prope Memphim, circumque prata amoe-
„ na, paludesque calamis plenae, prosequitur dein-
„ ceps mortuos haec incolere loca, quoniam Ae-
gy-

„ gyptiorum ſepulcra maiori ſane ex parte in eis „ locis poſita . Corpora vero per fluvium , & „ Acheruſiam paludem ad ſepulcrum delata , ibi- „ que condita , aliaque plura , quae nunc etiam „ ſervant Aegyptii , dant fabulis , quae Graeci de „ Inferis finxerunt , locum . Nam navis , quae „ vectat corpora , variis adpellatur . Haec apud „ Graecos *epinathra* . Obolum aiunt dari portito- „ ri , cui nomen inditum eſt ab incolis *Charon* . „ Adſerunt circa haec loca Hecates umbroſae tem- „ plum . Cocyti portas , atque oblivionis aereis „ vectibus diſtinctas eſſe , & alias portas veritatis , „ quas prope ſtatua ſit Iuſtitiae ſine capite. Mul- „ ta quoque alia fabuloſa de Aegyptiis ferunt , „ quae adhuc nomine , & opere perſeverant . „ Poſtrema haec verba mirifice confirmant coniectu- ram hanc meam , qua ductus , non modo , quae a Scriptoribus numerantur , ſed cetera quoque In- ferorum nomina in Aegyptum revocavi .

Inter haec ſit Alecto . Graeci patrio ſermoni plus aequo deferentes, Graecam vocem eſſe adfirma- runt , formatam ab A , & ΛΗΓΩ *ceſſo* ; quaſi *inceſſanter adfligens* ; ſed explicatio duriuſcula mihi videtur . Adducor potius , ut credam eſſe ab אלה Alà , *maledicere*; unde אלות Alòth , *male- dictiones* , & *dirae* , ut Deuteron. 29. 21. „ Sepa- „ rabit quoque eum Dominus ad malum ex omni- „ bus tribubus Iſrael iuxta omnes אלות Alòth , „ maledictiones foederis , quae ſcriptae ſunt in „ Libro huius Legis . „

Alilat . Hoc nomine Herodotus in Talia nar- rat

rat nuncupatam fuiſſe Vraniam apud Arabes Aegypto conterminos „ Dionyſium, quem *Vrotalt*, & „ Vraniam, quam *Alilat* adpellant, ſolos Deorum „ eſſe arbitrantur „ Idem nomen paulatim deflexum recenſet Lib. 1. de Perſis agens „ Vraniae „ quoque ſacrificant, ſic nimirum a Syriis, Arabibuſque edocti. Aſſyrii Venerem *Milittam* vo- „ cant: Arabes eandem *Alittam* adpellant, Per- „ ſae *Metram*. „ Militta eſt, a מלך Malach, *regnare*; unde מלך, & מלכם Molech, & Milcòm Idolum Ammonitarum. Molochum vero alii ipſam Venerem fuiſſe, alii Saturnum, alii Martem, demum alii Mercurium eſſe contendunt; unde Malitta eſt, quaſi מלכת Melechet, *Regina*, & per ſincopen Melet, ſeu Melit; nam feminina libenter abeunt in ת TH, praecedente Segòl, Chirich, aut Sciurech.

AMMON. Nomen Iovis apud Aegyptios. Diodorus Sicul. Lib. 1. de eisdem Aegyptiis loquens. Iovem quoque a nonnullis *Ammona* vocatum. Et Plutarchus de Iſid. & Oſirid. „ Porro quum „ plerique exiſtiment peculiare apud Aegyptios „ nomen Iovis eſſe *Amun*; quod nos producto „ vocabulo *Ammonem* dicimus, Manetos Sebennita „ ea voce occultatum, & occultationem iudicat „ ſignificari: & cum Principem Deum eundem „ cum univerſo putent, utpote obſcurum, & ab- „ ſconditum, vocari ab his, & Amun dicen- „ tibus, ut prodat ſe, ac conſpiciendum prae- „ beat „ Rationem huius nominis prodidit Herodotus Lib. II. „ quod quum ab Hercule cernere „ eum volente, cerni nollet, amputato arietis ca-

„ pi-

„ pite, pelleque villoſa, quam illi detraxerat, in „ duta ſibi, ita ſe Herculi oſtendit „ Sunt qui putent Ammonem eſſe ipſum Cham filium Noe, cui Africa contigit; ſed repugnat analogia; nam חם Cham ſignificat *calidum*, a חמם chamam *caluit*; quod nihil commune habet cum natione indicata. Vt ſentio, Amon Aegyptiorum eſt ipſum עמון Hammòn Hebraeorum, de quo Geneſ. 19. 38. „ Sed & minor quoque peperit filium, vocavit- „ que nomen eius בן עמי Ben hammì. Ipſe eſt „ Pater filiorum עמון Hammòn uſque in prae- „ ſentem diem. Ben hammi, vertitur a vulgata „ *filius Populi mei*, nam עם Ham *Populum* ſigni- „ ficat. „ At illud nomen pendet ab alia radi- ce עמם Hamam, quae ſignificat *tegere*, *operire*, & *abſcondere*; quapropter Aegyptiorum *Hammon*, idem eſt, ac Hebraeorum, & utrumque *abſconditum* ſignificat.

ANVBIS. Plutarchus in Lib. de Iſide, & Oſiride, Aegyptio Deo Graecum nomen tribuere videtur ab ΑΝΩ, & *Nub*: ſic enim in Lib. de Iſide, & Oſiride „ Iam qui caeleſtia oſtendit Anubis, „ ſuperiorum quaſi ratio (ΑΝΩ enim *ſupra* eſt) „ particulam hanc a patria dialecto mutuaſſe vi- „ detur; nam Graecis *ſupra*. Sed Graeci, ut „ multa alia ab Aegyptiis accerſita habent. „ At mea opinione Anubis eſt a נבח Nabahc *latrare*; unde & *latrator*, Anubis eſt apud Virgilium. Vox quoque נוב nub, *loqui* ſignificat, ut Prov. 10. 31. נובב nobeb loquentem, & facundum facere; quod praecipuo dono Mercurio adtribuitur.

APIA.

Apia. Hoc nomine Antiqui terram intelligebant. Conſtat hoc ex Herodoto in Melpomene, adſerente Apiam Scithis eſſe *terram*. Etiam Peloponeſus hoc nomine antiquitus audita eſt; legitur enim apud Homerum Iliad. A. ΕΞΑΠΙΗΣ ΓΑΙΗΣ, *ex Peloponeſia terra*. Vocem tamen Aegyptiis fuiſſe communem intelligimus; ex quo Herodotus in Euterpe, Vrbem nomine *Apiam* in Aegypto recenſeat. Praeterea cum Pharao ingenti aliquo titulo Ioſephum ornare vellet, Geneſ. 41. illum vocavit צפנת פענח Tzaphnat Paeneah, quod vulgata vertit vox *Salvatorem Mundi*. Poſtrema vox *Paeneah*, quae Mundo reſpondet, aliquam cum *Apia* ſimilitudinem ſervat. Sed *Apia* eſt a עפר hapar, *pulvis*, *limus*, *terra*. Immo Proverb. 8. 26. ſignificat *univerſum Orbem* „ Adhuc „ עפרות תבל haperòth Thebèl, terras orbis non „ fecerat, & flumina, & cardines orbis terrae. „

Aphtas, ſive Phtas, Vulcani nomen, cui apud Menphitas templum ſtetit eximium, Dedali opus, ut narrat Diodorus Sicul. Lib. 1I. Eius meminit Cicero in 1II. de Nat. Deor. & ex Nilo natum tradit, & Aegypti cuſtodem habitum, ut tradit Euſebius de Praepar. Evang. Lib. 1II. At Suidas in ΦΘΑΣ ait huic voci praemiſſam A propter euphoniam factum *Aphtam*, a quo *Aphtites*, ſecundum Stephanum, pars quaedam Aegypti dicta eſt. Graeci Patriae ſuae id nomen adſfererent, quaſi ΑΦΘΙΤΟΣ, hoc *aeternus* dictus ſit. Kircherius dictum putat a פתה Patha, *perſuaderi*; unde pittà, *perſuadere*, *delinire*, *demulcere*; quod idem ſonat, ac *Mulciber* Latinorum; ita a ferro emollien-

liendo nuncupatus, metaphora inter utramque notionem intercedente; nam, teste Diodoro Siculo, etiam apud Aegyptios Artium inventor habebatur. Priori coniecturae, & propriam subiiciam; nam potest derivari a פתח Pathac explicare, aperire, unde formatur פתוח Pituach, *sculptura*, *caelatura*, *pictura*, quae postrema vox inde in Latium facile expetita est.

APIS. Hoc nomine saepissime sacrum Bovem intelligimus; quanquam ex Plutarcho constet etiam Caprum hoc nomine aliquando audiisse; quod minime mirum videri debet, si animadvertamus Orientales Linguas quosdam spiritus habuisse, quos Graeci Scriptores rerum ignari penitus pratermiserunt, qui tamen significationem penitus immutabant. Sic itaque Plutarchus loquitur in Lib. de Isid. & Osirid. „ Apis, sic enim Caprum, qui *Mendete* „ alitur, nominatur „ dictum puto ab עפר hapar, quae *Terram* notat; unde mutatis punctis עפר hoper, *hinnulus filius capreae*, ut Cantic. 2. 9.

ARA. Graecis APA, non modo preces, unde & precum locus, quae & BHMA, Latinis *Ara*; sed etiam significat imprecationes, & diras; quae vox notat non tantum malevola dicta, quae in adversarios effundebantur, sed malefica quaedam numina, quae malorum haberent potestatem, de quibus Virgilius Aeneid. XII.

Dicuntur geminae pestes cognomine Dirae,
Quas & tartaream nox intempesta Megeram
Vno eodemque tulit partu. Hinc obnuntiare diras, & diris devovere, Dirisque insectari.

Ita

Ita vero proprie adpellabantur Furiae, quae in ministerio Iovis esse putabantur, ut tradit Servius Aeneid. 11. 622. „ Graecis ΑΡΑΙ. Quae vero in „ terris versarentur, ΕΡΙΝΝΥΣ; quae apud Inferos erant, ΕΥΜΕΝΙΔΗΣ; sed haec facile ab Aegyptiis cum reliquis traditionibus, quae ad impiorum supplicia pertinent, accepta sunt; nam mihi *Ara* est ipsum ארר *Arar* Hebraeorum, quod *maledicere* significat; unde מארות meheròth, *maledictiones*, & *imprecationes*.

ARSAPHES, sive ARSAPH. Ita *fortem* nuncupabant Aegyptii. Plutarchus de Isid. & Osir. „ Fertur „ etiam ab Aegyptiis Bacchus filiis Isidis, qui „ non Osiridis, sed *Arsaphes* nomen gerat, quo „ *fortis* significatur. „ At idem nomen non ad vires corporis, sed ad dignitatem referendum est; quo facile regiam potestatem indicabant, eo modo quo Graeci illum ΑΙΣΙΜΝΕΤΕΝ, hoc est *Regem* indigitabant; nam *Arsaph* compositum ex הר, unde הרים, harim *Reges fortes*, ut apud Michaeam 6. 2. Saphes vero, seu Saph, a שפט, Saphat, iudicare; unde Suphetes Carthaginiensium, Suphetii Albanorum, Saphinim Tuscorum, & Sophi Persarum.

ASMACH. De hac voce Herodotus in Euterpe: „ Ab hac Vrbe (Elephantina in altiore Aegypto) „ pervenies ad transfugas, quibus nomen est *Asmach*; „ quod verbum Graeca in lingua idem pollet, quo „ sinistrae Regiae adsistentes. „ Sed unde significationem hanc derivavit, nobis non constat; nam vox ista hac aetate nulla est apud Graecos; nec

video

video cur transfugas hac notione ſignificarent. Mihi probatur coniectura *Aſmach*, eſſe ab השמיט *Iſcmicth*, a radice שמט *derelinquere*. Si vero adhaereamus ſententiae Herodoti, ut ſignificaret *ſiniſtrae Regiae adſiſtentes*, Aſmach eſt חשמן Caſmon, *Magnates*, *Principes*, & *Optimates*.

ASNATH. Nomen proprium filiae Putipharis, quae Ioſepho Patriarchae in uxorem data eſt iuſſu Pharaonis, Geneſ. Cap. 41. *& dedit ei* אסנת *Aſnath filiam Putiphar Sacerdotis Eleopoleos in uxorem*. At id nomen ceſſit huic feminae ab eventu deinde ſequuto; ſeu potius divino conſilio factum eſt, ut a nativitate eo nomine donaretur, quo deinde Aegyptii intelligerent, qua providentia, quove conſilio Deus Ioſephum in Aegyptum adduxiſſet; nam אסנת congruit cum radice אסם *Aſam*, quae notat *horreum*; unde אסנת Aſnath, ut notavit Bougetius; nam eius cum Ioſepho nuptiae anno 1. fertilitatis ſequutae ſunt, quo in *manipulos redactae ſegetes, congregatae ſunt in horrea Aegypti*.

ASTARTA. Bibliorum Reginae nomen, ad quam Iſis divertit, ut notavit Plutarchus in Lib. de Iſid. & Oſir. Nomen compoſitum videtur ab *Aſti* Civitate, & *Arta* titulo dignitatis. De prima voce communi Perſis, Phrygiis, Graecis, Latinis aeque, atque Aegyptiis, egimus in eiusdem Linguae Phrygiae ſpecimine. *Arta* vero nomen Perſicum eſt, quo maiores ſuos, & homines priſcos adpellabant, ut notat Stephanus in ΑΡΤΑΙΑ, & Heſychius in ΑΡΤΑΙΟΙ. Quos vero Perſae *Artes* adpellabant,

Tuſci noſtri *Lartes*, & Romani *Lares*, ut demonſtravi in Acherontico Cap. xII. facile ab הר *Har mons*, quia Heroum animae in montium verticibus habitare credebantur, ut dixi in Diſſertatione *de transvectione animarum*; ſeu potius metaphorice, unde הרים *Harim* dicuntur, non modo res ſublimes, ſed etiam Perſonae excelſae, & Reges fortes, ut apud Michaeam 6. 2. „ Audiant montes iudicium Domini, & fortia fundamenta terrae „ Haec nota dignitatis boni ominis cauſa in nomen ceſſit; hinc Hartabanus, Hartabazus, Artaxerſes, Artaphernes, & his ſimilia, quae vel ſacrae Litterae, vel Graecorum Hiſtoriae celebrant. Si vero ſuſpicari velimus *Aſtartam* eandem eſſe cum *Aſtaroth* Phoenicum, & Syrorum, arceſſendum eſt ab alia origine עשתר; unde עשתרות Aſtaròth greges, & caulae ovium: adtributum Lunae conveniens, quam ovina ſpecie in Oriente repraeſentatam, in hac voce notavit Zanolinus.

B

BAL. Sic Myrrham nuncupabant Aegyptii. Id nomen ab effectu petitum eſt, eo quod myrrha deliramentum amovere putaretur. Plutarchus de Iſid. & Oſir. myrrham Aegyptii *Bal* nominant, qui vox ſignificat *amolitionem delirationis*. Aliquam huius vocis originem mihi deprehendere videtur in Hebraeo בהל *Bahal*, quae conturbari, ſeu praecipitem agi ſignificat. Hinc בהלה, Behalà, *conturbatio*, & נבהל Nibal, *attonitus*. Facile tamen eſt Aegyptios ad inſtar ceterorum Orientalium ſpiritus quoſdam, & adſpirationes habuiſ-

buiſſe, quas Graeci neglexerunt in eorum vocibus referendis, quae aliquando negationem importabant; quod Graecis plerumque praeſtat littera A, dictioni praemiſſa; quae quia cum apud Orientales plerumque habeat in leniſſimam adſpirationem, facile a Graecis praetermiſſa eſt.

BACCIN. Ita Bos ſacer adpellabatur. Macrob. Saturn. Lib. 1. Cap. 21. „ In Oppido Ermunti magnifico Apollinis Templo, conſecratum Soli colunt Taurum Baccin (alias Bacchin) inſignem „ miraculis convenientibus naturae Solis; nam & „ per ſingulas horas mutare colorem adfirmatur.„ *Baccin* eſt ipſum בקר *Bacàr*, quo *Bos*, & *Armentum* ſignificatur.

BARATHRVM. Si fidem Graecis adhibemus, vox illorum propria eſt; nam ΒΑΡΑΘΡΟΝ, ſive ΒΕΡΕΤΡΟΝ *foveam* notat, quae Athenis fuit adinſtar putei, in quam noxios deturbabant. Ita limo obſidente fundum, ut qui in illud deiecti forent, laxo, & molli ſolo ſubſidente, ac ſenſim fauces obſtruente; miſerrime perderentur. At Graeci ab Aegyptiis nomen mutuati ſunt. Ita enim Diodor. Sicul. Lib. 1. „ Eſt Syriam inter, atque Aegy- „ ptum palus admodum profunda . . . . . loci in- „ ſciis pericula inſperata adfert; in arcto enim con- „ tractam, arenae cumuli circumſtant, qui Notis „ ventis agitati, in aquam deferuntur: adeo arena „ denſa, ut continens videatur; neque facile ter- „ ra ſit, an aqua, diſcerni queat: quo fit, ut plu- „ res ignorata loci natura, neque vadum edocti, „ cum omni exercitu abſorpti ſint; limo enim de- „ merſi, nullam ſperant ſalutem: quae res Bara- „ thri eo cognomine dedit„ *Barathrum* vero, ſive

Beretrum constat ex duplici voce utraque Hebraea כאר Beher *puteus*, & אטר Athàr, *claudere*; unde iter clausus, & praeclusus, quasi dixeris *puteum*, seu *fossam* occultam, quod egregie naturam loci significat.

Baris. Herodotus Lib. II. naves Niloticas describens, hoc nomen nobis praeservavit „ Ita ianua impetu aquae insidente, trahit barim; hoc „ enim his navigiis est nomen „ Aegyptium morem sequutus Propertius, ubi Lib. 3. Eleg. x. historiam Cleopatrae descripsit eodem nomine usus est.

Romanarumque tubam crepitanti pellere sistro
Baridos, & contis rostra Liburna sequi.

Nomen detortum est ex Hebraeo עברה habarà, *navis transitoria*, a עבר habar, *transire*, sive a רוח *respirare*; unde בריחים barichim, *navis*, quae vento trahitur. Vox ista concessit ad Graecos, quibus tamen pro peregrina habita fuit; unde Euripides ΒΑΡΒΑΡΟΥΣ ΒΑΡΙΔΑΣ. Inde demum Italis venit nomen *barca*.

C

Cadmus, quem plerique Phoenicem esse putant, Diodor. Sicul. Aegyptium fuisse testatur „ Cadmus ex Thebis Aegypti ortus, praeter ceteros „ filios, & Semelem suscepit „ Convenit igitur eius nominis originem ab eius patria accersere; est enim a קדם *anteire*; unde קדמון Cadmòn, *antecedens*, vel qui praecedit, quin Dux Colonum exstiterit. Multa ex his nominibus forte etiam, & antiquis ignota,

ta, nec a traditionibus praeſervata, cum adhuc ſcripturae uſus infrequens eſſet, ab eventu, ſeu officio deinde compoſita ſunt. Non dubito tamen Magnates impoſuiſſe etiam filiis ſuis boni ominis cauſa nomina haec praeſtantia, quod de Phrygibus, & Perſis ſupra obſervatum eſt.

Callistvs. Ita Aegyptii Stellam Veneris nominabant, ut conſtat ex Chronico Alexandrino: „ Haec vero antiqua, ac vetuſta Aegyptiorum Re„ gum palatia Maneton deſcripſit, in cuius com„ mentariis refertur alia fuiſſe cognomina errati„ carum quinque Stellarum; Saturnum enim vo„ cabant *Lampontem*, Iovem autem *Phaetontem*, „ Martem dixere *Pirventa*, Venerem *Calliſtum*, „ Mercurium autem *Silbontem* „ Haec eadem fere habentur apud Achillem Tatium in Iſagoge „ Ae„ gyptiis, ac Graecis Saturni Stella utcumque ob„ ſcuriſſima ſit *Fenon*, hoc eſt *lucidiſſima* dicitur; „ ſed Graecis ſic quidem boni ominis cauſa adpel„ latur; ab Aegyptiis vero Nemeſis Stella nomi„ natur. Altera eſt Stella Iovis, ſecundum Graecos „ Phaëton, Aegyptiis vero Stella Oſiridis; tertia „ eſt Martis, ſecundum Graecos Pyroïs ab Aegy„ ptiis Herculis Stella. Quarta eſt Mercurii, quae „ Graecis dicitur *Stilbon*, Aegyptiis Stella Apol„ linis. Quinta eſt Veneris, *Calliſtus* Aegyptis, „ Graecis *Lucifer*. „

Huius vero Scriptoris auctoritate docemur nomina Aſtrorum, Graecis ſimul, ac Aegyptiis fuiſſe communia, ex quo cum Graeci ab Aegyptiis Aſtrorum ſcientiam didicerint, ut ſaepe oſtendit Plinius, credibile erat ſcientiam hanc quum de Populo in Populum migraret, antiqua nomina reti-

nuisse, ut in ceteris factum observamus. Quum vero tradit Stellam Saturni *Nemesim* ab Aegyptiis nuncupatam, intelligendum est de potestate, quam illi tribuebant communi cum Graecorum Nemesi. Quin turbet Aegyptia haec nomina Graeca significatione pollere; quum ceteroquin constet Graecos magna ex parte ab Aegyptiis descendisse, quod etiam ostendit communis utrique nationi Hebraismus: ex quo factum est, ut ipsae voces & Graece simul, & Aegyptie significarent, quod exemplis saepe demonstrabimus. Itaque *Callistos* Veneris nomen commune Aegyptiis, ac Graecis iuxta Graecos, derivatum a Calos, *pulcher*, *decorus*; unde ΚΑΛΛΙΣΤΩΣ, & ΚΑΛΛΙΣΤΑ *pulcherrimus*, & *pulcherrima*. Aegyptii vero eadem notione retenta nomen deducunt a כלל, Calàl, quo notatur *perficere*, *absolvere*, atque *adornare*; unde כלה Calà, *Sponsa* ab ornamentis, quibus utitur in pompa nuptiali, ut notant Mercerus, Pagninus, aliique Grammatici; nemo itaque non videt Graecam vocem ab Hebraeo descendisse.

CERES, Hoc nomen Graecos omnino latuit; eius tamen religionem Graeci ab Aegypto desumserunt. Diodor. Sicul. Lib. I. „ Cum maxima siccitas omnem fere Orbem praeter Aegyptum „ pervasisset, adtulisse ex Aegypto dicunt Erectheum propter cognationem Athenienfibus frumentum, obque id beneficium eis Regem constitutum; qui sumpto Regno, docuit eos caeremonias, & mysteria Cereris Eleusinae ab Aegyptiis translata „ Hoc tamen nomen occultum Graecis, palam fuit Latinis, qui multa Deorum nomi-

mina ab Aegypto immediate susceperunt, vel quae Graeci inter arcana retinebant, ipsi propalam publicarunt. Nomen est ab Hebraeo גרש Gheresc, quo significatur aliquando omnigenus fructus vi Lunae productus, ut intelligunt illud Deuteronomii 33. 14. „ propter suaves quoque fructus sola„ res „ & גרש, Gheresc, productionem Lunarum; sed mutato Sciboleth, seu substituta ס pro ש, גרס, Gheres, significat *maturam spicam*, ut Lev. 2. 14. & 16. quo inspecto, nihil amplius quaerendum est ad Cereris verum nomen indagandum.

CETHOS. Ita nuncupat Aegyptum Iosephus contra Appionem Lib. 7. „ Dicit enim Maneton, quia „ Cethos Aegyptum vocabatur. „ At locus iste non levem mihi ingessit dubitationem; nam *Cethim* in Scriptum sacra omnino est Macedonia. Itaque Machabaeor. 1. 1. Alexander, & Perseus Cireorum Reges adpellantur, & Isaias 23. Tyri eversionem ab Alexandro Magno faciendam praedicens, illam de terra Chetim venturam prophetavit. At rursus כתים *Chittìm*, Beato Hieronymo Numer. 24. 24. est *Italia*, vel *Roma*, nemoque adhuc id nomen ad Aegyptum transtulit. Putamus tamen non *Cethos*, sed *Netos*, aut *Neton* Aegyptum dictam; nam in Linguis Orientalibus multae adspirationes naturam nominis mutant, quae tamen in aliam Linguam translatae, saepe confunduntur. *Heton* vero est ad אית *fortis*; unde אתן Hetàn, *fortitudo*, in quo sensu accipitur illud Psalmi 74. 15. *tu siccasti fluvios* איתן *Hetàn*, fortitudinis; quod nomen genericum est, & fluvios omnes copiosiores, & rapidos designant; ut non desint, qui sub hoc nomine intelligant Mare Rubrum, miraculo exsiccatum, hoc est di-

visum; nam adiacet deserto Hetan, ubi Hebrae post transitum constiterunt. Alii intelligunt de Iordane; alii rursus de Arnon, & Iabok. Vtcumque se res habeat, genericum id nomen, atque ambiguum, rapiditatem notat, & impetum aquarum. At trahi posse etiam ad Nilum, facile suadent verba Diodori Siculi Lib. 1. de eodem fluvio loquentis „ fluvium vero propter cuius velocitatem, „ profunditatemque aquarum ΑΕΤΩΝ, tunc ad„ pellatum. „ Quia vero Graecis ΑΕΤΩΣ est *Aquila*, ob litterarum similitudinem Nilum ΑΕΤΩΝ, hoc est *Aquilam*, plerique tradiderunt. Puto tamen & Aquila, & Nilum ΑΕΤΩΝ, dictum ab eadem origine Hebraica, hoc est איתן Hetàn, *fortitudine*.

Canoc. Alterum Mercurii nomen, ut refert Kircherus Oedip. Lib. 1. Cap. 66. חנוך vero est a חנך Canàch, *erudire*, *instruere*, *docere*, quod officium Mercurio tribuebatur.

Charon. Id nomen Aegyptium esse late demonstravimus in *Alectho*. Ipsum terribili squalore horridum nobis describit Virgil. Aeneid. VI. *Dirum* adpellat Seneca, *asperum*, & *ferum*, & *implacabilem*, passim ceteri Poëtarum. Hunc dictum puto ab Hebraeo Charon, quod notat *Iram* dictum censuit Voss. de Idolol. Lib. 1. Capit. 57. hinc Psalm. 78. 49. Misit in eos חרון Charòn, *iram indignationis suae*.

Chartum. Conveniunt Expositores vocem hanc, quae plurali numero est חרטומים *Cartumìm*, vulgoque interpretatur *Coniectores*, *Augures*, *Magos*, ut Genes.

Genes. 41. 8. & Dan. 1. 20. esse Aegyptiacam, apud quos cum hac scientiae monstra maxime obtinerent, facile introductum est, ut ab illis ad ceteras Nationes nomen id derivatum sit. Iuvat in hanc rem sententiam Doctissimi Calmetis in medium adferre ,, Nomen Cartamim, quod hic ,, habetur, in exemplari Aegyptiorum esse, cuius ,, Germana significatio sit ignota, passim persua- ,, sum est. Septuaginta vertunt ΕΞΙΓΙΤΑΣ, *In-* ,, *terpretes*. Aquila ΚΡΙΦΙΑΣΑΣ, *occulta pauden-* ,, *tes*. Symmachus, cui Recentiores nonnulli ac- ,, cedunt, Maeyus; *Magos*; alius ΣΟΦΩΣ *Sapien-* ,, *tes*. Alii interpretantur *Prophetas*, *Divinos*, *Ge-* ,, *nethliacos*: quae omnes interpretationes id ge- ,, nus hominibus recte possunt accommodari. *Magi* ,, erant, quia virgas suas in serpentes commuta- ,, runt coram Moyse, ut legitur Exod. 7. 2. Di- ,, vinandi munus etiam sibi arrogabant; quia ad ,, interpretanda Regis somnia advocantur. Sic ex ,, Hebraica radice חרט, *celare*, & טמה *clau-* ,, *dere*, nomen Chartumim si deducatur, possemus ,, illud interpretari de iis Sacerdotibus Aegyptiis, ,, quorum erat libros sacros, & notas Ieroglyphi- ,, cas explicare. Clemens Alexandrinus Lib. v. ,, Stromatum, narrat libros omnes Theologicos ,, apud Aegyptios hoc modo fuisse conscriptos, ,, additque Diodorus Lib. III. a nemine potuisse ,, illos, praeter quam a Sacerdotibus, explicari. ,, Vocabulum Hierogrammateis, quo utitur Por- ,, phyrius Lib. IV. 8. de Abstin. ad denotandum ,, genus quoddam Sacerdotum Aegyptiorum, ma- ,, xime accedit ad Hebraeum Chartumim ,, Huc usque eximius Doctor. Video tamen priorem eius sententiam, qua vox ista deducitur a radice חרט

cela-

celare, *ſcalpere*, *ſtylo ſcribere*, paſſim a Grammaticis exceptam eſſe; nam communiter ſub eadem radice ponitur.

CHEMIA. Hoc nomine vocabatur Aegyptus in ſacris Iſidis, ut narrat Plutarchus de Iſid. & Oſir. quapropter hinc colligimus hoc nomen ad ſacra pertinere; deducitur vero a filio Noe חם *Cham*, cui Africa in ſortem contigit, & cuius filius Mizraim Aegyptum Hebreandum ſuſcepit; hinc in Scripturis ſaepe Aegyptus *terra Cham* adpellatur Pſalm. 105. *Et Iacob peregrinus fuit in terra* חם *Cham*. Nomen id recte conveniebat naturae regionis; nam eſt a חמם Chamam, *caluit*: unde חם Cham, *calidos*, quod mire convenit Aegypto.

CHENOSIRIS. Nomen hederae apud Aegyptios. Plutarchus de Iſid. & Oſir. „ Hedera ab Aegyptiis „ dicitur nominari *Chenoſiris*, quod ſignificat plan- „ tam. Oſiridis igitur Chen apud ipſos plantam „ notabat. „ Procedit vero ex Hebraeo, קנה chene, *culmus*, *harundo*, *ferula*, unde קנמון Chinemòn, *Cinamomus*, quaſi planta amomi; ſive potius a radice קיק, unde קיקיון Chichaiòn, *hedera*.

CHION. Nomen proprium Divinitatis in hac natione, quanquam Numinis quidditas varie a Scriptoribus explicetur. Circa id propoſitum audiendus eſt Servius in Aeneid. IV. verſ. 250. „ Nilus „ Challiroen Oceani filiam amabat. Ex his nata „ puella nomine Chion, quam rure vitam agentem „ Iupiter a Mercurio tolli, & nubibus miſceri

„ prae-

„ praecepit , unde factum est , ut nives , quae „ cadunt, Grecae XIONEΣ adpellantur „ At Plutarchus de Isid. & Osir. hoc nomine Saturnum a Graecis adpellatum tradit „ Anubis nonnullis Sa- „ turnus esse videtur; quod enim KYEIN Grae- „ ce dicitur , Chion , idest *Canis* adpellatur . „ At כיון Chion apud Hamos 5. 25. nuncupatur Idolum, seu Numen peculiare Aegyptiorum . En littera Hebraea „ *Portastis tentoria Regis vestri , &* „ כיון *Chion figurarum vestrarum , sidus Deorum* „ *vestrorum , quod fecisti vobis* „ Hanc vocem Septuaginta vertunt *Chevan*, quod tria Numina notat , quae subtili studio Expositores scrutati sunt , *Moloch* , *Chian* , & *Renphan* . Salmasius , & Kircherius defendunt *Kion* esse ipsum Saturnum , cuius sidus Persae adhuc KEIPAN vocant . Puto tamen *Kion* esse ipsum Anubim , sub canis specie figuratum ; nam Phryges , cuius lingua omnium maxime Hebraismum redolebat, *Canes* KHNAΣ adpellabat ; ut in Cratilo demonstravit Plato .

CNEPH . Deus Thebeorum apud Plutarchum de Isid. & Osir. „ Thebaidos incolae mortalem Deum „ nullum esse censent, sed Deum , qui *Meph* ipsis „ dicitur ortus exortem, & immortalem putant . „ Hunc describit Vossius de Idolol. Lib. IX. Cap. XI. capite alato , unde dictum censet a כנף Canaph , *ala* , sive , ut Chaldaei dicunt Chenaph , quae vox notat etiam *alatum* . Sanchoniaton vero apud Eusebium de Praepar. Evangel. Lib. I. Cap. X. ipsum in serpentis formam figuratum describit, traditque dictum Cneph , quod ipsorum lingua *bonum spiritum* significat: quo nomine audiebat etiam apud Phoenices , cuius auctoritatem tanquam antiquiorem lubentius amplector . Procedit vero Cneph ab

ab אנף Anaph, *ſpirare*; unde ſpiritus preſsa leni adſpiratione, ut fiat quaſi ח, *ch*.

Cophtus. Huius vocis derivationem attigit Plutarch. de Iſid. & Oſir. ſed minus feliciter ,, *Cophtus hodie dicitur, qui nomine quidam privationem notari exiſtimant* ,, Aegyptiis ΚΩΠΤΕΙΝ pro privare uſurpantibus. At nec a Graecis Aegyptium nomen petendum erat, nec a privatione. Melius quidem a loci natura; nam Plinius Lib. 37. Cap. v. ait, hoc nomine intelligi maritimam, & littoralem Aegypti regionem. Vox pura puta Hebraea eſt; nam חוף Choph, ſignificat *regionem maritimam*, & *maris portum*, a radice חפף *tegere*, & *protegere*, ut Ioſue 9. 1. Ezechiel 25. 16. Deuter. 1. 7.

Cybele. Cum Deorum nomina ex Aegypto, ut plurimum accerſita ſint, ut ſupra ex Diodoro Siculo demonſtravimus, inter quae maxime numeranda ſunt, quae nullam radicem trahunt vel a Graeca Lingua, vel Latina, ab eo fonte id etiam petendum cenſeo. Cybele notat Deorum matrem, antonomaſtice *Magna Mater* dicta. Eius autem Etymologiam Linguis omnibus incompertam, Hebraei facili negotio declarabunt, a pariendo formatum; ipſis enim חבל Chebel *parere* ſignificat ut Pſalm. 7. 15. חבלתך Chibelatheca *peperit te mater tua*.

DA-

D

DANAVS. Dux Aegyptius a nullo Scriptorum veterum non memoratus, qui Coloniis adeo Graeciam frequentavit, ut inde Graeci omnes ab ipſo Danai adpellati ſint. Eius nomen notat dignitatem; nam *Iudex* interpretatur a דון Dun, *iudicare*; unde דן Dan, *iudicavit*, & *iudicans*, & דנני Danani, *iudicavit me*; ex eadem origine eſt nomen unius ex Iacobi filiis.

E

EPHESTIOS. Hoc nomine Graeci adpellant, quem Latini Vulcanum. Hic primus Aegyptiorum Rex fuiſſe fertur, & Nili filius, qui iuxta Manethonem apud Sincellum, ſpatio novem mille annorum regnavit; at Graeci ab Aegypto hoc nomen exceperunt, in tantum, ut Stephanus, & Euſthatius tradant Aegyptum ab ipſo ΗΦΑΙΣΤΩΝ nuncupatam. Ignis inventor habitus eſt, ut & Veſta; nam Aegypti ignem & maſculum, & feminam in natura recognoſcebant ob diverſos caloris effectus; ſeu potius in caeleſtem, & terreſtrem diſtinguebant, ut obſervavi in Indigitamentis. Haec tamen vox, quam Graeci nobis tradiderunt, non parum ab ipſis deformata eſt, ut patriae pronunciationi adcommodarent: ut enim Veſta dicta eſt ab אש Heſc, *ignis*; ita, ut auguror, ΕΦΈΣΤΙΩΣ, ab Apia, Terra, & *heſc*, quaſi APESC, ſeu EPESC.

ELIVS. Omnia fere ex decem nominibus, quibus

bus divinis Scripturis Deus O. M. nuncupatur, ab Ethnicis impie detorta ſunt ad Deos ſuos deſignandos. Incertum ſane eſt an ipſi e Libris Moyſi illa hauſerint, an Moyſes, qui primus Dei Nomina in ſcriptis retulit; nam & quae traduntur de anterioribus Scripturis Adami, Seth, Enoc, Matuſale, Noe, Melchiſedeco, ceteriſque apud Rabinos, vel apocripha ſunt, vel ſaltem dubia, num a communi Lingua elegerit quasdam ſignificationes Dei adtributa ſignificantes, ut eſſentiam, fortitudinem, omnipotentiam, dominium, & his ſimilia, in quibus facile & ceterae gentes, quibus eadem Lingua communis erat, facile convenire potuerunt, utpote quae exprimerent illam Divinitatis ideam, quae naturae beneficio nobis inſita eſt, cui poſteriori ſententiae libentius ſubſcriberem; quum pro certo conſtet Gentiles haec nomina adhibuiſſe, quum adhuc Libri Sancti occultiſſimi haberentur, ſeu ſaltem Gentibus erant deſpectiſſimi, quorum vanitatibus adverſabantur. Vtcumque tamen res iſta ſe habeat, certo conſtat *Elium* Solis cognomen apud Graecos eſſe antiquiſſimum, originemque ſuam trahit ab אל Hel, *potentia*, *fortitudo*; quo nomine Hebraei Deum *fortem* ſignificant. Nec contradicerem, ſi quis illud deduceret a radice הלל; unde תהלה Thaala, *lumen*, & הילל Helel, *Lucifer*; quae vox maxime accedit ad notionem, & ſonum huius vocis.

EPAPHVS. Iovis filius ex Io, qui Metaphim in Aegypto condidit. Nomen id notat virtutem, & vim ab אפף Apaph, *aggredi*.

ERA. Deorum nomina cum Religione ab Aegypto

pto desumpta fuisse, satis opportuno loco demonstravimus. Inde *Erae* nomen Graecis stetisse non dubito, quo potestatem *Aeri* praesidentem, Latini *Iunonem* dixere, denotabant. Graeci quidem, Platone duce, deducunt ab ΑΗΡ, unde *Aer* Latinis, ac si dixerint ΑΗΡΑ, unde ΕΡΑ. At Graecorum ΑΗΡ, idem importat, quod Hebraeorum אויר *Aver*, hoc est *aër*.

ETHVN. Vox אטון Ethun, *funem* significat, sed funem Aegyptii operis ex bisso, seu pretioso alio stamina intextam. Occurrit Proverb. 7. 16. „ Intexui אטון, Ethun funibus lectulum meum. „ Et sensus est: *intexui pretiosis loris, seu vinculis Aegyptii operis lectulum meum*. Vocem hanc Aegyptiam putant communiter Grammatici, Hebraeis tamen communem, deducuntque a radice אטן.

EREBVS. Locus profundissimus in Inferno, omnium obscurissimus, cuius nomen cum ceteris Inferorum fabulis, de quibus in ALECTO, Graeci ab Aegyptiis facile ebiberunt. Si Graecis deferimus, est ab ΕΡΕΦΩ, *tego*. Si vero Hebraeos interrogamus, & Erebus, & Erepho est ab ארב Ereb, *latibulum*, ut Iob. 37. 8. Nec minus probabile mihi videtur descendere ab ערב hereb, quod significat *tenebras*, & *vesperas*. Vtraque notio recte Erebo convenit.

ERECTEVS. Hic ex Aegypto frumenti copiam Athenas devexit, quo populum fame laborantem sublevaret; unde Athenarum Rex constitutus est, ut diximus in CERES. Eius nomen ab hoc beneficio inditum illi fuit; nam sonat escam, cibum e longinquo delatum, ab ארח *iter facere*; un-

de

אחרה arucha, *commeaticum*, *viaticum*, *eſca*, quam peregre profecturi parare ſolent. Inde deflexum id nomen pro Graeci ſermonis proprietate.

H

HECATE. Nomen Lunae apud Inferos. Graecorum doctiſſimi, qui illius originem in propriae Linguae theſauris ſcrutati ſunt, mirum in modum ingenium cruciarunt. At ab Aegypto originem habuiſſe, clare oſtendit Diodorus Sicul. quem citamus in ALECTO. Hebraeis התחטא Hitcatàh, *expiationem* ſignificat, ut Iob. 41. 17. Tribuebatur vero Lunae a profundioribus Mythologis vis quaedam animarum purgandarum, quae in quibusdam cavernis in orbe Lunae ſitis exercebatur, ut oſtendit Plutarchus in Lib. *de Facie in Orbe Lunae*. De hac quoque poteſtate expiationis Hecati adtributa, multa diſſeruimus in Indigitamentis. Miſſos igitur faciamus, qui id nomen a centenario numero derivatum credunt, ut alios praetermittamus, qui luſiſſe potius in hac ſignificatione, quam philoſophati eſſe viſi ſunt.

HORAE. Hoc nomine notantur non modo diei ſpatia, ſed etiam anni tempora, quae primum ab Aegyptiis diſtincta, & definita ſunt, ut manifeſte oſtendit Diodorus Siculus toties in citato Lib. 1. Pugnant Graeci in huius vocis derivatione, ut videre eſt apud Platonem in Cratilo. Omnium tamen mihi adridet Macrobii ſententia, qui Saturnal. Lib. 1. Cap. 11. hanc vocem derivat ab Aegypto, ubi Sol *Horus* vocabatur. Iuvat heic ſententiam adducere doctiſſimi Voſſii, qui Etymol. in Horae, haec habet „

bet „ Quum autem Aegyptiacam Linguam multa „ cum Hebraea communia habuisse vocabula sic „ verosimile; nec a vero abludat Apollinem, seu „ Solem, ΩΡΟΝ adpellatum ab Hebraeo אור, „ quod est *lucere*, *illuminare*; vel potius ΩΡΟΣ „ ab Hebraeo חרס Cheres, idest *Sol* „ Addere etiam poterat (non enim latebat virum Hebraice doctissimum, eandem vocem saepe significare anni tempora, & Lunae cursum.

HORUS. Ita Aegyptii Solem nuncupabant, ut constat ex Macrobio Saturnal. Lib. 1. Cap. 21. „ Apud eosdem Apollo, qui est Sol, *Horus* vocatur, ex quo, & Horae XXIV. quibus dies, noxque conficitur „ quod etiam firmaverat Diodorus Sicul. Lib. 1I. At Plutarchus rerum Aegyptiacarum peritissimus in Lib. de Isid. & Osir. indicavit, non Solem hoc nomine intelligi, sed Naturam, & spatia illius motus, & conversiones, quae fiunt in punctis Solstitialibus „ Memoriae proditum est in libris, qui Mercurii dicuntur, seu „ de sacris nominibus, facultatem, quae praeest „ conversioni Solis, *Horum* vocari, Graecis *Apollinem*. Haec notio maxime explicat, quae de „ origine nominis Horarum superius dicta sunt: significant enim anni spatia, quae a Solis conversione, Aegyptiis *Horo* nuncupantur „ *Horus* vero ex his, quae supra notavimus, vel est ab חרס Cheres, *Sol*, ut placet Vossio, quod Solem, & anni tempora significat: sive ab אור Hor, *resplendere*, quod aliquando accipitur pro ipso Sole, ut Genes. 1. 3. *fit* אור *Hor*, *lux*, & fuit *lux*. Rursus vero 2. 16. pro *luminaribus* ponitur אור, & אורות Hor, & Horot. Hinc *urere* Latinis; *Horae*, *Oriens*, & *Aurora*.

Coniicio tamen Aegyptios propria pronunciatione non per O, ſed per I, vel per Y exprimere conſueviſſe, atque HYR protuliſſe ex his, quae habentur apud Plutarchum de Iſid. & Oſir. ,, Iſis ,, aliquando *Muth*, aliquando *Athyr*, aliquando ,, *Methyer* nuncupatur . . . . ſecunda voce intelli- ,, gitur domus Hori mundana. *Ath* igitur eſt domus Hyr *Horus*. Quod etiam fuſius explicamus in *Athyr*; niſi dicere velimus ſimplicem vocem fuiſſe *Hor*; cum adfixis vero, ſeu in compoſitis fuiſſe *Hyr*; quemadmodum ab אור *Hor* Hebraeorum fiunt והאיר vaheir, *lucem praebuit*, & האירה heirah, *illuminavit* מאיר Mehir, & מאירת meiràth, *inflammantes*, & להאיר lehair, ad lucendum. *Athyr* vero Aegyptiorum eſt huiuſcemodi.

HON. Nomen Solis, a quo civitas Solis, Graecis ΕΛΙΟΠΟΛΙΣ, de qua Geneſis Cap. 41. ,, Dedit ei uxorem Aſeneth filiam Putipharis כהן און Cohen Hon, Sacerdotis Hon Heliopoleos, ut habet Vulgata. Idem nomen Eſaiae 66. 2. & 3. ſumitur pro Idolo in communi. ,, Qui ,, recordatur thuris, quaſi qui benedixit און. ,, Hon Idolo, ut pariter habet Vulgata. Paraphraſis Chaldaea habet אלה, & אלות Elach, & Eluth, quae Elium, hoc eſt, Solem facile notant. Haec civitas facile eſt illa, quam Eſaias 19. 18. vocat civitatem Solis: *Civitas Solis vocabitur una*. In huius tamen vocis genuina lectione variant Hebraei. Textus communis habet עיר *Hir* ההרס *Hir haberes*, quod proprie notat *civitatem excidii*; nam הרס, Heres, *minam* ſignificat. Alii rurſus, ut refert Divus Hieronymus, legunt

עיר

עיר הצדק, Hir Azedhec, *Civitatem Iuſtitiae*, a צדק Zedech, *Iuſtitia* Alii denique עיר ההרס Hir Acheres, *Civitas Solis*: quam lectionem ſequuta eſt noſtra Vulgata, & ſynonymus *Hon*, Solis. Vox tamen און *hon*, proprie notat *fortitudinem*; ſed, ut puto, eſt ab אור hor, *Sole*.

HERMANVBIS. Vox compoſita ex *Herma*, & *Anubis*, qua notatur ipſe Anubis inferiorum, ſeu terrenarum rerum potens; nam triplex illi officium, apud Caelites, in Terra, & penes Inferos. Supremam poteſtatem *Anubin* dicebant; mediam vero, hoc eſt terrenam, *Hermanubin*, & contracte *Hermam*, qua *terrenum* ſignificari puto. Haec Mythologia quodammodo colligitur ex verbis Plutarchi de Iſid. & Oſirid. „ Iam qui caeleſtia oſten„ dit Anubis, ſuperiorum quaſi ratio (*Ano* etiam „ ſupra eſt) aliquando etiam Hermanubis uſur„ patur. Altero nomine Superioribus, altero In„ feris ſcilicet reſpondente „ *Her* vero Terram ſignificat ab ארץ, Herez *Terra*, vel ab הרר Herer, *Montes*, & loca montana; quanquam Plato in Cratylo, a ſermone dictum putet; ſed veroſimilius eſt vocem Graecis adveniſſe ab Aegypto. Quia vero Graeci varias Deorum poteſtates coniunxerunt, *Hermathenas*, & *Hermeracleas*, & alia huiuſmodi formaverunt; unde paulatim *Pantheorum* origo deducta eſt, ut in Notis ad Lucernas obſervavimus.

HATHIR. De hac voce multa praemiſimus in HORVS, ibique ex Plutarchi loco demonſtravimus hoc nomine Aegyptios intellexiſſe domum Hori mundanam. Vox iſta coaluit ex duplici voce Hat, *domus*, & hir, *Hori*. Vt vero ſecundi eſt ab

Hebraeo אור *Hor*; ita prima ex בית *Bahit*, ſeu *Beth*.

I

IANVS. Quaerunt Latini originem huius nominis intra Latii terminos; minime advertentes ipſum non ſecus ac reliquos Numen eſſe peregrinum. Conſtat enim ex Plinio Lib. 23. Cap. v. ipſum apud Aegyptios cultum. „ Item Ianus Pater in „ ſuo Templo dicatus ab Auguſto, iam pridem „ auro occultatus „. Quin obſtet a Dionyſio Halicarnaſſeo patrium Numen Latinorum adpellari; nec enim inficiabor apud ipſos fuiſſe antiquiſſimum non ſecus ac cetera Numina, quorum tamen origo ex Oriente petenda eſt, quemadmodum de Saturno obſervatum eſt, quem fabulis involutum Latina civitate donaverunt. Qui tamen ſapientius ſentiebant, ſub hoc nomine Deum ΠΡΟΤΩΓΩΝΟΝ intelligebant, ut oſtendimus in Notis ad Lucernas. Ianus igitur creditus eſt Deus ille increatus, quem Orientales ΙΑΩ, & ΙΑΕ pronunciabant, de quo multa in Notis ad Gemmas Aſtriferas a Clariſſimo GORIO meo collectas; eſtque ipſum יה Iah, decurtatum a nomine יהוה Iehovah, per quae Deum ex ſe ipſo exiſtentem intelligimus, ut dicemus in Iove. Hinc intelligimus originem huius Divinitatis eſſe antiquiſſimam, in qua nondum Fabulae penitus corruperant religionem: eius enim idea de proximo adcedit ad illam veri Numinis eſſentiam, quam ſenſim hominum ſuperſtitio commentis, & novis vocabulorum monſtris pro lubito excogitatis, deturpavit.

Vi-

Video quoque illi adtributum cognomen *Patulci* , quod a patendo factum est; sive a Templo belli tempore patente ; seu potius a duplici aspectu , quo utrinque patebat : seu potius a patentibus ianuis , quae ipsi sacrae erant : dictus autem *Patulcius* , a פתות Patoth , qui sunt *cardines ianuarum* .

ISIS . Numen potissimum , & antiquissimum Aegyptiorum , de quorum Religionibus agens Diodorus Sicul. Lib. I. ita loquutus est „ Duos esse „ Deos , & hos aeternos arbitrati sunt, Solem vi- „ delicet , & Lunam , & hunc quidem Osiridem , „ & hanc Isidem certa nominis ratione adpella- „ verunt . . . Isidem vero interpretatam esse „ *antiquam* sumto nomine ab *aeterno* , & veteri „ eius ortu tradunt. „ Huius Scriptoris auctoritatem sequutus est Eusebius de Praepar. Evangel. Origo nominis sumpta videtur & ipsa a Lingua Hebraica , in qua ישש *Iascesc* antiquum denotat , unde Paralip. n. 36. 17. „ Non est misertus „ adolescentis virginis , & ישיש Iascic, *senis* .

ISTIA . Hoc nomine Graeci Deam ignis praesidem adpellant , quae Latinis *Vesta* , de qua Ovidius Fast. VI .

Nec aliud Vestam , quam vivam intellige flammam:

est autem ΙΣΤΙΑ ab אש Hesc , *ignis* . Quia vero feminina Hebraica saepe terminantur in *ith* ; hinc ab *hesc* , factum est *histia* , quasi *hiscit* .

IVPITER . De hoc nomine Graecis ignoto , multi multa erudite differuerunt , quorum sententias in

Indigitamentis retulimus. Quod certum eſt, id nomen in recto coaluit ex Iove, & Patre, ſeu, ut antiqui pronunciabant, & praeſertim Etruſci, ꟻꟻVI. IVVE. Id vero, ut omnes fere conſentiunt, eſſe idem Dei nomen ſacroſanctum, ac ineffabile יהוה Ieovah, quo notatur id, quod ex ſe ipſo eſt. Vnde tamen illud Itali eruerint, num ab Hebraeis nempe, vel ab Aegyptiis, quaeſtio ardua eſt, & periculi plena, & quam leviter attigimus ſupra in ELIVS.

K

KEMIN. Synonymus Ori, hoc eſt Solis, ab *apparendo* formatus. Plutarchus de Iſide, & Oſir. „ Orum ſolent ii *Kemin* appellare, hoc „ eſt *viſui expoſitum* „ Hebraeis עין hen, *adſpectum* ſignificat, ab hain *oculus*; aſpirationes vero praeſertim in principio litterarum, a Graecis facile permutatae ſunt. Si tamen a notione, quam Plutarchus nobis tradidit, recedere licet, Hemin facile eſt a חמם camam, *calefacere*: unde nomen חם cam, quod *calidum* ſignificat; unde tota Aegyptus Chemia nuncupata eſt, ut diximus in ea voce.

KYON. Plutarch. de Iſid. & Oſir. „ Stella cani- „ culae propria eſt Iſidis, & dicta eſt Kyon, ſive „ *Canis*. „ Id nomen Graecis etiam uſurpatum eſt, ut conſtat ex Proclo in Libro de Sphaera, & Ariſtot. 7. de Animal., quanquam haec notio aliunde accerſita videatur: nam ΚΥΩ *concipere* eſt, quod minime convenit aſtro ferventiſſimo. Hoc tamen nomine Hebraei ſtellam Saturni intelligebant, ut dictum eſt in CHION.

KYPHI.

KYPHI. Miſtura erat ſexdecim aromatum, quam Diis adolebant. Plutarch. de Iſid. & Oſir. „ Kyphi „ porro miſtura erat ſexdecim aromatum in unum „ compoſitorum, mellis, vini, uvae paſſae, cype- „ ri, reſinae, myrrhae, aſpalthi, ſeſelis, iunci „ odorati, bituminis, folii ficulnei, rumicis, iu- „ niperi, utriuſque cardamomi, & calami. Has „ autem ſpecies non temere componunt; ſed „ ſeplaſiariis dum iſthaec miſcent, ſacrae recitan- „ tur literae. „ Huius miſturae rationem, & aromatum menſuram addiſcere licet ex Dioſcoride Lib. 1. Cap. 24., ubi teſtatur miſturam hanc etiam in medicamentis fuiſſe. Eius vocis origo eſt a כפר *Caphar*, unde *Copher*, quod duas habet notiones, utraſque huic ſuffitui convenientes; nam aliquando ſignificat *bitumen*, ſeu *picem*, ut Geneſ. VI. 14. וכפרת, *& bituminabis eam intrinſecus*, *& extrinſecus*. בכפר bachopher *cum bitumine*. Aliquando ſignificat *expiationem*, ſeu *multam* pro peccato oblatam, ut Exod. 22. 30. „ & ſi כפר Copher, pretium fuerit ei impoſitum, „ dabit pro redemptione animae ſuae „ ſaepe etiam ſignificat *propitiationem*, ut Iſaiae 43. 3., quapropter vox iſta aptiſſima erat ad hanc reſinarum, & aromatum miſturam in uſum expiationis comparatam. Hac voce notant etiam ciperum arborem, ex qua etiam in hac miſtura deſiderabatur.

L

LAMPON. Ita vocabatur Stella Saturni, quam etiam *Phaenona* dictitabant, ut diximus in CALLISTVS. Id evincitur ex Chronico Alexandrino „

no. „ Saturnum enim Aegyptii vocabant *Lampon-* „ *tem*. „ Secundum Graecos ita dictus est a ΛΑΜΠΩ *splendeo*; unde ΛΑΜΠΑΣ, *fax*. Sed ΛΑΜΠΩ, & ΛΑΜΠΑΣ venit a לפיד lapid, *lampas*, *fax*, *taeda*; & לפידות lapidòth, *lampades*, ut Iudit. 4. 4.

LETHE. Oblivionem significare tradit Plutarchus de his, qui se a Numine &c. „ Vocari autem „ *lethe*, hoc est oblivionis locus „ Explicatio magis opportuna esse non poterat, si id nomen Graecum est; nam ΛΗΘΗΣ, *oblivio*: si vero vox Aegyptia est, quod satis credibile puto, eo quia pendeat a traditione Inferorum, aliunde origo vocis petenda est. Mihi *lethe* sonat *obscurum*, sive *occultum*, a לוט, luth *abscondere*, *involvere*, *obtenebrare*; unde לט lath, *occultatio*, *obtenebratio*; unde Latinum *lateo*.

LEVANA. Id Numen Latini tantum agnoverunt; notatque unum ex Lucinae officiis, a levandis pueris recens natis; unde, ut Latini putant, dicta *Levana*. At mihi id nomen ipsam *Lunam* significat; nam לבנה Levanàh, *Luna*; unde & postremum hoc nomen. Quum Graecis vox ista ignota sit, sequitur, ut immediate ab Aegypto, vel ab Oriente petita sit.

LOTHOS. Planta celebris apud Aegyptios: unde non modo multiplex alimentum; sed & mysteria, atque significationes eruebantur. Est autem a לוט loth, quod non modo *aromata* significat; sed & glandem, & castaneam, immo & radicem cuius-

iusdam herbae, ut tradit Rab Selomoch in Commentariis.

M

MALCANDER. Nomen Regis Biblii apud Plutarchum, qui uxorem habuit *Aſtartam*, apud quos Iſis hoſpitio excepta eſt. Id nomen notat *Regem hominum*, a מלך Malach, *regnare;* unde Melech, *Rex*; *Ander* vero Graecis ΑΝΔΡΩΣ, *Homo* eſt ab אדם Adam, *rubere*; unde *Homo*, eo quod ex rubra argilla compactus ſit.

MANEROS. Vox ſane Aegyptia, ut colligitur ex Plutarcho de Iſid. & Oſir. quanquam deinde Phrygibus communicata, ſubinde & Latio „ Sane „ magnae res geſtae a Semiramide celebrantur „ apud Aſſyrios, a Seſoſtri in Aegypto, & Phry- „ ges praeclara facinora etiamnum *Mani* adpel- „ lant; quia Manis quidem antiquorum Regum „ apud ipſos virtute, & potentia polluerit, quem „ nonnulli *Maſden* adpellant „ fuiſſe vero & *Manentem* quemdam bonum Genium apud Aegyptios per haec verba teſtatur: „ Dum Iſis Oſiridis in- „ ventum defleret, accedens, quid ageret, obſer- „ vavit Iſis truci eum ira intuitum puerum con- „ ſternatum habuiſſe. In honorem tamen haberi „ propter Iſidem; eſſe enim Manerotem hunc, „ quem in conviviis cantant Aegyptii . . . . . „ Sunt qui Manerotem negent hominis eſſe no- „ men; ſed affirment iſta voce Aegyptio ſermo- „ ne convivas modeſtiae admonere, atque hoc „ eſſe, quod identidem Aegyptii nominando Ma-

„ ne-

„ nerotem, ſignificent, quo pacto ſcilicet etiam „ mortui ſimulacrum in ciſtella circumlatum non „ ſit monumentum eorum, quae Oſiridi evene- „ runt; ſed quod cenſeant monendos convivas, „ ut fruantur praeſentibus, & mox ipſi quoque „ tales futuri: ideo inferri eam in convivia ima- „ ginem. „ Igitur Maneros Aegyptiis referebat quandam boni Genii imaginem, quae in conviviis inferretur; quod importare videtur nomen Manerotis, quod eſt ab ΗΡΩΣ Genius, & Manus, quod Latinis *Bonum* ſignificabat. Nam & Lanuvini *mane* pro *bono* dicunt ex Macrob. Saturnal. Lib. I. Cap. III. Sed & Graecis, & Latinis *Herota*, & *manum* ab Hebraeo deduxerunt. ΗΕΡΩΣ, ut putat Voſſius in hac voce, eſt a Chaldaeo תורן *Viri nobiles*; ſed facilius crediderim, ut ſicut Graeci illos dixerunt ΗΡΗΣ, a Iunone, quae aër eſt, quod ibi habitare crederentur; illos Aegyptii dixerint ab אור, hoc eſt *luceſcere*; unde *lux*, & *aër*. *Manus* vero facile eſt a מנה *mana*, *munus*, *dona*, *oblatio*, & *ſacrificium*.

Menphis. Proprio nomine nuncupabatur נוף Noph, ſive מוף Moph, ut notat Mercerus ad Pagninum in לבן, & in נוף; unde tamen ita dicta ſit, colligitur ex Plutarcho de Iſid. & Oſir. „ Menphi autem Apis nutritur, ac nomen Vrbis: „ alii portum bonorum interpretantur; alii ſepul- „ crum Oſiridis, „ Et recte quidem a portu, nam Nilo adluitur: quapropter nomen petitum eſt a נוף nuph, *irrigare*, *aſpergere*, *effundere*.

Memphis. Hoc nomine etiam notatur Taurus ſacer ex duobus, quos ſingulis annis, ut refert idem Diodorus, ſacrificabant. „ Et hunc quidem

„ Apim,

„ Apim, alium vero Menphim nominatos ſacri-
„ ficant Oſiridi „ Geminae hae victimae myſticae ſunt, & pro duobus elementis terra, & aqua tanquam vectigalia offerebantur ; nam Apis *terram* ſignificat, ut in *Apia*. Memphis autem *aquam*; nam eius nomen eſt, ut ſupra diximus, נוף Noph, ſive מוף Moph. Primum diximus eſſe ab *irrigando*, unde etiam Neptunus ; ſecundum vero eſt a מו Mo *aqua*, ut in Moyſes.

MESORE. Vltimus Aegyptiorum menſis, quorum rationem aſtronomicam accuratiſſima inquiſitione proſequutus eſt Vir longe doctiſſimus Nicolaus AVERANIVS admirando ſuo opuſculo de Menſibus Aegyptiorum Cap. II. Gori noſtri de litteris optime meriti curâ in lucem edito. Id nomen facile petitum eſt ab ipſo Aegyptiorum progenitore מצרים Mizrahim, nepote Noe. Nec turbet diverſa nominum inflexio ; nam, ut notat Calmettus *Mizrahim* non eſt numeri ſingularis ; ſed indicat multitudinem, ut ſunt fere cetera, quae Moyſes enumeravit Geneſeos Cap. 12. immo non ſunt nomina propria filiorum, ſed populorum, qui a nominibus filiorum Noe denominati ſunt, ut Kittim, Dodanim, Ludim, Enamim, Lehabim, & cetera, quorum forma, ut norunt Grammatici, pluralem numerum ſonat : in quo quidem ſublimem Moyſis induſtriam admiramur, qui cum Mundi Hiſtoriam magis quam unius familiae texeret, unico nomine utrumque exſequutus eſt, ac ſi dixiſſet genuit Aegyptios, Lydios, Dodoneos. Sed in hoc numero multitudinis etiam nomen ſingulare, ac hominis proprium facile deprehendunt Grammatici, ita ut Conditor Aegyptiorum Mizrahim, Mazzor, aut Mezzor nuncuparetur, qui facile eſt Meſore.

ME-

METRA. Persarum est femininum Mitrae, qui apud ipsos Sol, Metra vero Luna. Mitra vero, ut placet Vossio de Idolol. Lib. II. Cap. IX. est a Persico מתר *Meter magnus*. Alilat vero est ab Hebraeo הילל *Helèl*, *stella*; quae notio consonat cum Graecorum Vrania.

MINAS. Legislator sapientissimus, qui optimas Aegyptiis leges tradidit ex Diodoro Siculo Lib. II. „ Tradunt persuasisse primum multitudini scriptis „ uti legibus Minam magni animi virum, vitae- „ que inter omnes probatae. Finxisse autem Mer- „ curii datas praecepto, tanquam multorum bo- „ norum causam futuras. „ Nomen ab officio factum est; nam a מנה Manah *numerare* est מנה Minah *constituere*, *praeficere*, *stabilire*. Ab Hebraeis praeterea vocatur משנה *Misnah*, secunda pars legis revelatae. Minoëm Cretensium Legislatorem ab hac origine nuncupatum censeo.

MO. MOS. MOYS. Aegyptiis *aqua*, unde nomen Moysis, ut auctoritate Philonis, Iosephi, & Clementis Alexandrini ostendit Gaulmin. de Vita Moysis. Nomen factum est a מוג Mug, *liquescere*, *diffluere*.

MOYSES. Hunc a parentibus *Orsasiphum* appellatum tradit Gyraldus Dialog. Poëtar. II. Tulit vero nomen Moysis a filia Pharaonis, a qua adoptatus משה *Moseh* vocatus est. Exod. II. „ Crevit au- „ tem puer, & (mater nutrix) adduxit illum ad „ filiam Pharaonis, factus est illi in filium, & vo- „ cavit nomen eius משה Moseh. „ Vnde colligitur nomen Aegyptium fuisse; cuius significatio

pau-

paulo infra subiicitur „ & vocavit nomen eius Mose, dixitque, quoniam משיתהו *Mescithiu*, traxi eum. Ex quo igitur ab aqua tractus est משה *Moseh*, nomen accepit; nam Hebraeis *aqua* מוש *Mosc* dicitur; quanquam sint, qui putent nuncupatum a משה *Mascia*, quod est *extrahere*. Videndus Pagninus in משה.

MVTH. Aegyptiis *Mater*. Plutarchus de Isid. & Osir. „ Isis aliquando *Muth*, nonnunquam *Atyri*, „ quandoque *Methier* nominatur. Prima voce Ma- „ ter intelligitur. „ A voce Aegyptia est Graecum ΜΗΤΗΡ, & *Mater* Latinum. *Muth* vero est ab אם Hem *Mater*; unde femininum plurale אמות Hamoth, *Matres*; seu a radice מות Muth, unde מתה, & מתים, Metha, & Methim, *homines*, & *mulieres*. Eiusdem vocis Aegyptiae vestigium non obscurum videre est in Canticis 6. 5. in voce מתאימות Mathimoth, quae significat feminam, quae geminos parit, gemelliparam.

N

NACHAL. Nilus, qui in Sacris Scripturis appellatur נחל מצרים. *Machal Mizrahim*, fluvius Aegypti. Nomen genericum est, petitum a נחל Nachal *torrens*; nam plerumque nomina propria locorum indita sunt a proprietate, & propterea pluribus communia, ut Euphrates פרת Pharath, quasi *inundans*; nam פרש Pharas *extendere*. Nomen vero Nachal Aegyptium esse coniicimus, fulti auctoritate Pomponii Melae Lib. III. Cap. X. qui ait, Nili fontes in Aethiopia vocari *Nucul*. Nilus Syris est *Nebel*; unde Graecis ΝΕΙΛΟΣ.

NEIT.

NEIT. Vnum ex Minervae nominibus apud Aegyptios, ut conſtat ex Platone in Timaeo „ Vrbis „ (Sais) praeſes Dea, Aegyptiace quidem *Neit*; „ Graece autem, ut illorum fert opinio, ΑΘΗΝΑ. Vtrunque nomen ex Hebraeo eſt, eandemque retinet ſignificationem ſermonis, ſeu eloquentiae. Nam ΑΘΗΝΑ antiquis Graecis, Tuſcis vero TINA eſt a תנה *Thana*, quo etiam *eloqui*, & *docere* ſignificatur NEIT vero eſt a נאם, unde Neum, *ſermo*, *elocutio*: unde Graecis ONOMA, Latinis nomen.

NEPHTIN. Hoc nomine, iuxta toties citatum Plutarchum, intelligebant Aegyptii *Finem*, *Venerem*, & *Victoriam*. Quid *Finis* nomine ſibi vellent, alio in loco declarat „ Nephtin appellans eas „ terrae partes, quae Mare attingunt „ Conſonat haec notio cum Hebraeorum נוף Noph, quo *Terminum* notant, ſeu *Finem*, ut Pſalm. 48. 2. „ Pul- „ cher נוף Noph Termino univerſae terrae gau- „ dium Mons Sion „ Hinc Noph dicta Menphis, ut ſuo loco dicemus, quod ad illam Nilus divideretur, & Aegypti terminus, & Deltae ſimul haberetur. Neptunus etiam inde nomen accepit.

NEPTVNVS. Quid de illo ſenſerint Aegyptii, habemus ex Herodoto in Euterpe „ Neptuni nomen „ ab initio non uſurpaſſent Pelaſgi, niſi Afri „ ſemper hunc Deum in honore habuiſſent. Eum „ Aegyptii igitur putant eſſe; ſed nullo honore „ proſequuntur. „ Quapropter nomen illius Aegyptiis etiam commune, cuius originem hanc fere fuiſſe puto. Sicut enim, ut ſupra diximus, *Nephtin* appellabant eas terrae partes, quae mare attingunt; hoc nomine etiam Venerem marinam deam

deam intelligentes: ita porro ex eadem origine mafculinum nomen effecerunt Nephton, feu Nephtum, quo fignificare voluerunt Numen illud littoribus praefidens, & in quibus fuam potiffimum exercet auctoritatem, terram concutiendo, unde *Ennofigaeus* dictus eft. Forte ac etiam dictus eft a נוף Nuph *ftillare*; unde Graecis ΝΙΠΤΩ; *lavo*; quare in hac re nihil deferimus Varroni, qui nomen Latinum facit a *nubendo*.

NEREVS. NEREIDES. Maris Dii ita nuncupati, fi Graecis credimus, a ΝΑΩ. Sed & ipfa Graeca vox eft ab Hebraico נהר Nahar, *fluere*, & *fluvius*, unde & נהרים neharim, *flumina*, ut Ifaiae 18. 2.

NETHIRON. Sive NEVTON. Bos facer ex illis, qui in annum cuftodiebantur ad myfteria obeunda. Macrobius Saturnal. lib. 1. cap. 21. „ Taurum „ vero ad Solem referri multiplici ratione Aegy„ ptius cultus oftendit: vel quia apud Heliopolim „ Taurum Soli confecratum, quem *Nethiron* co„ gnominant (alias *Neuton*) maxime colunt „ hoc nomen facile eft a נטר Nathar, *cuftodire*, *fervare*, *refervare*, quod boves ifti in loco facro fumma veneratione fervarentur.

NILVS. Iuxta Servium, dictus eft quafi ΝΕΩΝ ΙΛΗΝ, quod femper novum deponat lutum; unde Delta femper accrefcit. At quis unquam putet Aegyptium flumen a Graecis nomen accepiffe? Verofimilius eft effe a נחל Nacal, *torrens*, *fluvius*, & *alveus*: quod etiam fignificatur per נהר Nahar; unde Nar, Vmbriae fluvius.

No. Vrbs in Aegypto non procul a Nili ostio; de qua Nahum 3. 8. & Ieremias 46. 25., quae urbs a Chaldaeis vastata, ab Alexandro Magno restituta, de eius nomine nuncupata est. Hebreis. נו *No* vocatur, quam aliqui deducunt a radice נא *Na*: at Rabi Elias illam derivat a נאה Naah *pulchrum esse*: Vossius vero de Idolol. lib. 1. cap. 32. a נוה Navèh *habitaculum*. Congruit huic etymologiae epithetum, quo a Nahum decoratur, hoc est נו אמון No Amòn, quod Divus Hieronymus in Epitaphio Paulae explicat, ut significet *multitudinis*, sive *habitaculum multitudinis*.

Noph. Ita Menphim appellant divinae Scripturae, urbem ex eius Regni praecipuis, ubi Nilus bifariam divisus, Deltam cingit. Si Herodotum audimus in lib. 2. a Mene Rege, qui urbem exstruxit, dicta est. Iuxta alios ab Ogdoo Rege condita, a nomine filiae suae nuncupata est. Sed vetus nomen, quo in sacris Libris nuncupatur, est נף *Noph*; inde vero modica variatione N, in M, a Chaldaeis dicta מפים *Mephes*, a Phoeniciis *Maphis*; quare utrumque nomen ex eodem fonte expetendum est. Bougetius quaerit id nomen a radice נפה Napha *spirare*, *sufflare*. Pagninus vero, & satius quidem meo iudicio, deducit a voce נוף Nuph, *stillare*, *aspergere*, atque etiam *cribare*, & *concutere*. Notio quidem minime aliena est, si loci situm respiciamus; sed ab alia eiusdem vocis significatione hoc nomen urbi factum est; nam significat etiam *terminum*, ut Psalm. 48. 2. *pulcher* נוף Noph. *termino universae terrae gaudium mons Sion*. Haec notio magis ad Aegyptiam significationem accedit; apud quos Nephtis *finem* significabat, ut diximus in Nephtim; inde & Neptu-

nus. Haec vero Civitas *Terminus* vocabatur, quod inde Nilus divideretur.

O

OCEANVS. Hoc etiam nomine Aegyptii Nilum nuncupabant. Idem Diodorus lib. 1. „ Ae„ gyptii putant Oceanum esse Nilum „ . . . . Nili nomen vetus, Oceanus fuit. Nam aliquando minorem auctoritatem Oceano tribuentes, illum a terra complecti reputabant. Quapropter Nonnus Dionys. 42. 477. non modo Neptunum inducit mancipantem Veneri Oceanum; sed & illum terrarum ambitu inclusum describit:

Et latum continui cinctum habita Mundi
Oceanum resonantem, tuum famulum vocabo.

Homerus quoque Odyss. XIII. titulum Oceani attribuit Mari, quod Circeum ambit. Diodorus loco cit. ait Oceanum Aegyptia lingua nihil aliud denotare, quam *humiditatem*: quae potissima praerogativa Nilo semper stetit, cuius beneficio tota Aegyptus humectatur. Huius nominis derivatio, quam Vossius de Idolol. lib. 2. cap. 77. petit a חוג chug, *circuire*, ex eo quod Oceanus terram cingat, duriuscula mihi visa est. Probabilius mihi videtur hoc Oceani nomen, quo Nilum antiquitus appellabant, esse a גיחון Ghihon, quo nomine secundus fluviorum, qui in Genesi recensentur, dictus est „ & nomen fluvii secundi Ghi„ hon: ipse est, qui circuit omnem terram Ae„ thiopiae, Hunc vero Rabi David deducit a גוח Ghavach *irruere*, ob eius catharactas. Etiam Ra-

bi Iofeph, & S. Hieronymus dictum ferunt „ quod „ egrediens irrigat terram. „ Quapropter ΩΚΕΑΝΟΣ Graecorum eft a ΓΙΟΝ, praemiffa Ω: & hinc fortaffe ΚΥΑΝΕΟΣ aquae marinae color, & virentis herbae.

Osiris. Huius naturam indicat Plutarchus de Ifide, & Ofiride. „ Prima autem earum die Ofi„ rim natum, & fimul cum eo vocem editam, „ quae indicaret Dominum omnium rerum in lu„ cem prodire „ A dominio igitur Ofiris a שרה Sarà, *Principem* effe; unde Affyris Salmanafar, Baltafar, & Phrygiis Affaracus.

P

Pallas. De hac ita Diodorus Siculus Lib. I. ubi Deorum Aegyptiorum nomina recenfet „ Aërem „ vero nominatum Pallada, ac Iovis filiam dici, „ & Virginem fuiffe; quoniam & non corrumpa„ tur, & fublimiorem locum teneat: quapropter ex „ vertice Iovis dicitur nata „. Nec vel minimum ambigo nomen Aegyptiae originis effe, quum Plato, aliique Graecorum fapientiffimi in huius vocis interpretatione fummopere fluctuaverint. Aegyptiis vero nomen commode derivatur a פלא Palà *feparari*, quod fublimior ea aëris regio ab inferiore feparata fit; quae dictio notat etiam *velari*, *occultari*, & *admirabilem effe*. Etiam פלה Palah valet *fegregari*, & *feparari*.

Pan. Aegyptium Deum hunc effe oftendit Diodorus Sic. lib. I. „ Ofiris vero tum Serapis dicitur, tum Dio-

„ Dionyſius , tum Pluto, tum Hammon: alii Pa„ na eundem vocant „ Pan vero lingua Aegyptia *Mundum* ſignificat, ut diximus in Izaphnat; quod nomen recte convenit notioni huius Dei, quem Naturae totius praeſidem Graeci, & Latini eſſe reputabant. Inde Graecis ΠΑΝ, quod *Vniverſum* notat antonomaſtice, & *Mundum*.

PARCA. Vtique *a non parcendo*, ſi Grammaticos Latinos audimus. Id nomen Graecis ignotum fuit; ſed in Latium advenisse, cum ceteris Inferorum Fabulis, non dubito. Huius officium erat ducta vitae ſtamina intercidere; unde recte deducitur a פרך Parech *fractio*, *ruptura*; ſive, ut Voſſio placuit in Etym. a פרש Pareſc, *divido*.

PHAETON. Iupiter, ſive Iovis ſtella apud Aegytios, ut ex Chronico Alexandrino „ *Iovem au*„ *tem Phaetontem*, quod nomen ad filium Solis Graeci tranſtulerunt; nam ad propriae linguae ſignificationem illud accommodantes a ΦΑΩ ſplendeo, Φαετων eſt *ſplendidus;* at eius derivatio cum peregrinum quid habeat, petenda erat ab antiquiore dialecto. Iovem vero, quem Divum Patrem, atque hominum Regem ferebant, Phaetonta dixerunt פאת; unde in plurali פאתי Phaatè *Principes*, & *Reges*, ut Num. 24. 17.

PENATES. Ita dicti Latinis Dii Domeſtici a loco, in quo ſervabantur „ *penitiori*, *ſeu penetrali* „ Vox petita eſt ex Hebraeo פנים Penim, *locus interior*, *intimus* a פנה. Inde vero & *penetrare*, & *penitus*, & alia compoſita.

PHALLVS. Simulacri huius pudendi religio ab

Aegyptiis ad Graecos una cum Orgiis transivit, ut testatur Diodorus Siculus. Lib. 2. „ Tradit enim „ Osiridis Phallum a Typheo in fluvium coniectum, atque ab Iside inventum, sepulcro cum „ ceteris membris conditum . . . . Eius imaginem „ coli, sacraque ei ac caeremonias pie, ut Deo, „ fieri docuit, nomen eius Dei praecipuum red- „ dens, atque insigne. Quapropter Graeci, quum „ Orgia, sacraque Dionysiaca ex Aegypto trans- „ tulissent, huic quoque portioni honores im- „ penderunt, eam in sacris caeremoniis *Phallon* „ appellantes. „ Id nomen inditum est a mysterio, per quod Naturae fecunditatem denotabant; nam velatum, & maxime occultum habebant. Est igitur a פלא, unde נפלא niphlà, *arcanum*, *mysterium*, *occultum*, *velatum*: sive a פלץ *horrere*, unde מפלצת Miphlezet Priapus, ut explicat Divus Hieronymus Paralip. 11. 15. 16. „ Sed & „ Maaham matrem Asae ex augusto deposuit Im- „ perio, eoquod fecisset in luco simulacrum Pria- „ pi „

PHANEBIT. Vrbs in Aegypto, Hori Apollinis patria; eadem forte, quae ΦΑΡΒΑΙΘΟΣ a Stephano graecanice nuncupatur; dicta a Phaenone, & בית Bahit, *Domus*. Saturniam unica voce diceremus.

PHARAO. Sive nomen proprium, sive titulus dignitatis, Hebraice est a פרעה Parhòh: quem si a Pharo Insula dictum credamus, cum iis, qui ita crediderunt, omnino iocabimur. Qui rectius cogitant, deducunt a פרך Parach, *conterere*, *dissipare*,

pare, & *dividere*; quae poſtrema notio Regi maxime convenit, ob iuſtitiae adminiſtrationem. Vox iſta, teſte Iuſtino Lib. 22. etiam Scythis communis fuit, quorum exules patria lingua, *Parthi*, hoc eſt *diviſi*, dicti ſunt. Hinc Euphrates dictus פרת Perath, quod Regna, immo maximam Aſiae partem, divideret. Mercerus ad Pagninum Pharaonem dictum putat a פרע, propriae eſt *expeditum eſſe*; quod convenit iis, qui ad bella ſemper parati ſunt. Bochartus hoc nomine Crocodilon ſignificari putat, ad quod argumentum adducit non ſatis firmum ab Ezechielis metaphora deſumptum cap. 29. 3. *Ecce ego ad te, Pharao Rex Aegypti draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum*. Kircherius in Oedip. lib. 2. cap. 76. illum deducit a פרע Pharah, quod etiam *liberare*, ſeu *ſervare* ſignificat. Sed omnium maxime mihi probatur ſignificatio, quam ſubindicavit, quanquam non explicavit, Ioſeph Antiquitat. Lib. 8. cap. 3. „ Pharaonis nomen ſecundum Aegyptios ſignificat „ *Regem*. Reor autem eos ab infantia quidem aliis „ nominibus appellatos; venientes vero ad Re„ gnum, nomen id ſuſcepiſſe „ Clericus in Geneſ. 12. 15. hoc nomen deducit ab Arabico *Pharac*, *extolli*, *praeeſſe*; miror tamen virum ceteroquin eruditionis profundiſſimae nomen antiquiſſimum a recentiore lingua deduxiſſe; niſi forte crediderit id Aegyptiace linguae veſtigium in poſteriore lingua permanſiſſe. Ego quidem derivarem ab Habraeo פרת Perath, unde פרתמים Partemìm, *Principes*. Scio quidem R. Kinki in illud Heſter 1. 3. vocem hanc derivare ab Euphrate, quaſi dicat *Principes Euphrateos*, ut ſit dignitas petita a loco: at Divus Hieronymus, R. David, & Pagninus hanc dictionem independentem cognoſcunt,

 & ſi-

& significare dicunt *Principes*, seu *Tyrannos*, quanquam origo nominis comuniter ignoretur.

PHAENON. Saturni nomen apud Aegyptios iuxta Achillem Tatium, quem citavimus in Callystus. „ *Aegyptiis*, *& Graecis Saturni stella, utcumque obscurissima sit*, *Phaenon*, *hoc est*, *lucidissima dicitur* „ sed Graecis sic quidem boni ominis causa vocatur. Graeci nomen desumerent a ΦΑΙΝΩ, *appareo*, in *lucem edo*; Hebraei vero a פנה phana, *aspicere*, *convertere faciem*; unde פנים Panìm *facies*; & sic, si utramque originem spectes, verbum idem sonat.

PHI. Bubasti civitas apud Ezechielem 30. 17. vocatur פי בסת Phi-Beset: est autem in Orientali ripa unius ex Nili brachiis, quod Arabiae proximum est; unde etiam fluvius *Bubastus* appellatur. Divus Heronymus in eum Ezechielis locum interpretatur hanc vocem *oris experimentum* פי pi enim est. a פה peh *os*, *facies*, & aliquando, cum de locis agitur, significat *angustias*; ut exempli gratia *Regio Phi. Ahiroth*, de qua Exod. 13. 20. & 14. 2. interpretantur *angustiae*, seu *loca arcta* hirot. Quapropter etiam hoc loco *Phi* significare potest ipsam loci angustiam, per quam Nilus defluebat. Cornelius a Lapide in praefatum locum Ezechielis, *Bubastum* dictum putat, quasi *Pubastum*, ut idem fere sonet, quod civitas Phi; *Astus* enim Civitatem notat: seu mutata significatione, *Babustus* est civitas Bub, seu bovis.; nam in ea quotannis Conventus celebrabatur in honorem Dianae, quae ibi potissimum colebatur; unde & ipsa *Bubastis* dicta a Latinis. Ovid. Met.

cum

——————— *cum quà latrator Anubis*,
Sanctaque Bubastis. ———————

PYROIS. Ita ſtella Martis apud ipſos vocabatur, ut conſtat ex Chronico Alex. cit. in Callyſtus, & ex Achille Tatio. Graeci citra dubium a ΠΥΡ *ignis*, ΠΥΡΟΕΝΤΑ *ignitum* dicunt a colore aſtri, quod ignitum eſt: Si vero naturam Planetae explicare debeamus, ad Hebraeos recurrendum eſt, quibus פרש pharas *ſtragem*, *caedem*, & *mortem* deſignat; imo & militem, ut eſt apud Ezech. 26. 10. Eandem notionem retinuit, licet diverſo vocabulo expreſſam, apud Accitanos, qui, ut ait Macr. lib. 1. cap. 18. illam *Necin* vocabant, quod eſt a נכה Nachè *percutere*; ut מכה Macoà, & Machè *percuſſio*, ut eſt apud Ioſ. 10. 10. Iſaiam 1. 66. Inde vero eſt Graecorum ΜΑΧΗ, *pugna*.

R

RHADAMANTHVS. Hunc Iovis ex Europa filium fuiſſe tradunt, & Lyciae regno potitum; tantae iuſtitiae fuiſſe, ut poſt mortem etiam officium iudicandarum animarum apud Inferos nactus ſit. Hinc Virgilius Aneid. Lib. VI. verſ. 566.

Gnoſſius haec Rhadamanthus habet duriſſima regna,
Caſtigatque, auditque dolos, ſubigitque fateri.

At quanquam ille minime Aegyptius, credibile ſane eſt Homerum eius nomen, & officium ab Aegyptiis ſuſcepiſſe, quum ex Diodoro Sic. lib. 2. con-

ſtet omnia Inferorum nomina, & Fabulas ab illis hauſta eſſe, inter quae tribunal conſtitutum erat, in quo de illorum, qui mortui eſſent, moribus, & vita, antequam tumularentur, diſquirebatur. Sed inter haec Rhadamanthi nomen accenſendum eſſe, mihi alia coniectura perſuadet; nam compoſitum eſt ex רד Rad *Dominus*, & רדד Radad *Dominator*, a רדה Rada *dominari*, ſeu potius a ראה Raah *videre*, *ſcrutari*, *examinare*; & altera Aegyptia voce *Amenthum*, quae ipſum *Iudicii locum* ſignificat. Plutarchus de Iſid. & Oſir. „ Subterraneum locum, in quem putant a morte „ animas ferri, Amenthum vocant, quod vocabu- „ lum ſignificat dantem, & accipientem. „ Ex hoc fonte non dubito Etruſcos nomen *Mantus* accepiſſe, quod illis *Ditem* Patrem, ſeu Plutonem deſignabat. Servius Aneid. X. 198. „ Etruſca lingua „ *Mantum*, hoc eſt *Ditem Patrem* appellant.

Rib. Hac voce Aegyptii terrae accretionem in Delta beneficio Nili factam nuncupabant, ut ex Horo Apoll. in Hieroglyph. oſtendit Etymologicum magnum, qua voce ipſam Deltae formam triangularem, & pyri formam referentem ſignificabant. RIB enim Aegyptiis *Pyrum* ſignificare aiunt. At vereor ne potius a natura loci, quod ſeptemplicis oſtia Nili irriguum faciunt, atque humens, fuerit appellatum; nam רי Ri *irrigatio*, *irroratio*, atque *adaquatio* eſt a רוה Rava *irrigare*, *adaquare*, ut apud Iob. 37. 2. ברי *propter irrigationem*. Eſt praeterea רב Rib *multitudo*, *augumentum*, a רבה Raba *multiplicare*, *augere*; quod recte convenit Deltae, quae ſubſidente ſenſim limo fluminis aucta eſt.

At mihi videtur vox iſta ad Hebraiſmum re-

cla-

clamare; nam Hebraeis Aegyptus etiam רהב Rahab nuncupatus eſt, ut Iſaiae 51. 9. *Nonne tu es ipſe, qui excidere facis* רהב *Aegyptum a fortitudine* & Pſalm. 81. 4. *Memorare faciam* רהב *Rahab, & Babel*. Sunt qui ita dictum volunt a ſuperbia; nam רהב eſt *extolli, & ſuperbire*, quod metaphorice, qui ſuperbiunt, ſupra ceteros ſeſe extollunt; at apud Iob. 9 26. ponitur etiam pro *elatione*, & *tumore*, quae literaliter, & phyſice in ipſa Aegypto, cum Nilus excreſcit, verificantur.

S

SAIS. Minervae nomen apud Saitas; unde & eorum civitas nuncupata eſt. De illa Cicero lib. de Nat. Deor. „ Secunda Minerva orta Nilo, „ quam Aegyptii Saitae colunt „ Hoc tamen nomine etiam a Graecis cognita fuit, ut conſtat ex Pauſania. *Sais* vero feminam *Bellatricem* ſignificat; nam סאן Saan eſt *bellare*, & אשה Iſcia *mulier*. Quia vero oleae ſatrix habebatur, alienum non foret illam deducere a זית Zaith, quae *oleam* ſignificat.

SATVRNVS. Hoc nomen ignotum fuit Graecis, quibus ΚΡΟΝΟΣ dictus eſt, non ſecus ac Phoeniciis, quibus ΒΕΤΥΛΩΣ, atque ΙΛΩΣ nuncupatus fuit, ut tradit Euſebius lib. 1. de Praepar. Evangel. qui auctoritatem Sanchoniatonis Berytii in hac re nobis praeſervavit. Et ΙΛΩΣ eſt ipſum El *fortis Deus*, unum nempe ex Dei nominibus, quibus frequenter Scriptura utitur. ΒΕΤΥΛΩΣ vero a ſaxo eiuſdem nominis, quod ipſe pro Io-

ve

ve devoravit, nuncupationem accepit. ΒΕΤΥΛΩΣ quanquam veteres dissimularint, & impia fabula involverint, detortum est ab ipso lapide ΒΕΤΕΛ, quem Iacob ungens oleo erexit in titulum Domino, ut Genes. 28. „ *& vocavit nomen loci illius* בית אל Bet - El, hoc est *domus Dei*; unde vero Saturni nomen obvenerit apud Italos, non ita liquet. Cum vero Hebraismum omnino redoleat, non aliunde, quam ex Aegypto, petitum credam. Vnde delatum in Graeciam, atque inter occultiora habitum, deinde Latium infecerit; nam multa Deorum nomina, ut saepe diximus, in Arcanis habita sunt apud Graecos, quae in Latio revelata sunt. Sunt igitur qui putent Saturnum esse a סתר Satar, *latuit*, in quo Latinis plus aequo adulati sunt, qui ab eius latitatione *Latium* dictum autumant, atque ut ait Virgilius:

. . . . *his quoniam latuisset tutus in oris.*
& Ovidius Fastor.
Et dicta est Latium terra latente Deo.

de quo nobis dicendum erit in Tractatu *de Nominibus Vrbium*. Sed qui ita credunt, nomen ab eius fortuna ab Italis inditum credunt, cum potius a natura arcessendum videretur. Opportunius videbatur esse a שטר Sciatar, *Dominus*, eo quod toti naturae ante elementorum divisionem ab eius filiis factam imperaverit. Crediderim potius esse a זרע Zarah, lenita Z. in S. quod *serere* significat; nam & inde verbum *sero* nobis obvenit, ut ostendam in Diatriba de *Hebraismo Latinorum*, eo quod ipse omnium Divum Sator habitus sit.

SATYRI. Hoc Commentum Aegyptiis attribuit Dio-

Diodorus Sic. lib. 1. qui in Ofiridis comitatu haec monftra introduxit „ Satyros vero ad pfallendum, „ cantandum, ac animi remiffionem aptos in ca- „ ftris habebat „ Quo nomine Aegyptii illum nuncuparint, nobis, nifi per coniecturam, adfequi non eft datum; nam Efaiae 34. 14. manifefte indicatur „ & occurrent Daemonia, Onocentaurus, & „ שעיר Sahir clamabit alter ad alterum „. Satyrum reddunt in hac voce Grammatici; nec nifi ab Aegypto hanc imaginem Propheta mutuatus eft; quam fententiam, poft Targum Chaldaeum, etiam Aben Zezra fecutus eft. At tamen origo vocis Hebraea eft; nam formatur a שער, unde שעיר Sahir *pilofus*.

SICHICHOR. Alterum Nili nomen eft שיחור Efaiae 23. 3. Hier. 11. 18. quod *nigrum* fignificat, a שחר fchachar, *niger*. Hinc Latinis *Melo* dictus ut apud Servium, & Feftum; nam ΜΕΛΑΣ, *niger*.

SEBRITAE. Lingua Aegyptia *advenae* dicuntur. Strabo lib. 17. pag. 517. „ Supra Meroen aliam „ infulam, quam Aegyptiorum exules habent, „ qui a Pfammitico defciverunt. Hi Sebritae, ideft „ *advenae*, nuncupantur „ Nomen eft a סבב Savau *proficifci*, *vertere fe*, *divertere*; unde סביבות fervivoth *circuitus*; nam plurale plerumque mutat Camez in fcena cum definentia in *in*, five in *Oth*; unde Sebritae quafi *feunt*, dicti funt a profectione.

SEMELE. Hanc Aegyptiacae origini manifefte attribuit Diodorus Sic. lib. 1. ubi hiftoriam natalis Dionyfii ab ipfa in lucem editi narrat „ Cad- „ mus ex Thebis Aegypti ortus praeter ceteros „ filios & Semelem fufcepit. Eam a quopiam corru-

„ ruptam post septimum mensem peperisse infan-
„ tem ferunt Osiridi similem; neque illum vixis-
„ se diutius, sive Diis improbantibus, sive id ad-
„ versante natura: quod aegre ferens Cadmus,
„ responso accepto, ut parentum iusta servaret,
„ Infantem decantavit, illique sacra instituit, ut
„ esset argumentum illum ab Osiride natum „.
Quia vero ut plurimum nomina antiquis Heroibus ab eorum gestis post ea indita, vel mutata sunt, a *similitudine*, quam eius infans cum Osiride servabat, *Semele* dicta est; nam סמל *semel*, *simile*, & *similitudinem* significat; inde Latinis *similis*.

SENENECH. Quam reliquae nationes *Sienem* vocant, apud Ezechielem 29. 10. appellabatur סונה *Sevenèh*, urbs, inquam, inter Aegyptum, & Aethiopiam, ubi maxime Sol fervet; nam medio Solstitii die nulla prorsus umbra refrigeratur, ut ait Plinius lib. 37. de qua Lucanus lib. VIII.

Nam quis ad exustam cancro torrente Sienem
Ibit? ——————————

unde *fusca* appellatur a Martiale lib. IX. Inde nomen urbi factum; nam סנה Senèh *rubum* significat; sed quia, ut ait Rabi David in Lib. Radicum, & Pagninus, *rubi* nascuntur in desertis, arentibus, & siccis terris; ideo aliquando sub hoc nomine continetur locus desertus, & aridus; quapropter ipse Rabi David ita explicandam tradit hanc vocem in prophetia Iacobi de Ioseph Deuter. 33. 16. „ Propter pietatem eius, qui ha-
„ bitat in סנה Senèh deserto perveniet ipsa (be-
„ nedictio) ad caput Ioseph, & ad verticem se-
para-

„ parati a fratribus ſuis „ Ab eadem notione nuncupatus eſt *Mons Sinai*, quod *aridus*, & *deſertus* ſit, ut notat idem Pagninus, & *deſertum* סִין Sin, ubi Hebraei caſtrametati ſunt.

SERAPIS. Tot, & tam variae de Serapi traduntur etymologiae, ut quam magis probem, neſcio. Qui a graeco ΣΟΡΟΣ, ΑΠΙΣ, quaſi dixerint *ſepulcrum Apidis*, paene luſiſſe viſi ſunt; nam, ut monet in Euterpe Herodotus, Graeci ab Aegyptiis Deorum nomina mutuati ſunt, non iis dederunt. „ Aegyptios primos duodecim Deorum cognomi- „ na cenſuiſſe, & ab illis accepiſſe Graecos . . . . „ Neque tamen credam Aegyptios a Graecis fuiſ- „ ſe mutuatos, aut aliud quidpiam . . . . adeo „ Deorum omnium nomina fere ex Aegypto in „ Graeciam pervenerunt „ Quapropter nec minimum defero auctoritati Varronis, quam retulit Divus Auguſtinus lib. 18. cap. 5. qui eidem ſententiae adhaeſit. Nec magis probanda eſt conieѕtura Iulii Materni, qui in libro de errore Prof. Relig. *Seraphim* cum Ioſepho confundit, & ab via *Sara* dictum putat; qua ſententia nihil inanius. Nullo enim probabili fundamento fulcitur, immo illi repugnat ſacer Textus, qui manifeſte tradit initio Exodi, quod Ioſepho mortuo „ *ſur-* „ *rexit vero Rex novus ſuper Aegyptum, qui* „ *non noverat Ioſeph, dixitque ad populum ſuum,* „ *venite ſapienter opprimamus eos* „ Stantibus ergo Iſraelitis in Aegypto omnis memoria Ioſephi exciderat, illiſque inde egreſſis ob memoriam calamitatum cum tota gente odio habitus eſt. Divus Clemens Alexandrinus in Protrept. dictum putat ex duplici voce *Oſir*, & *Apis*, quaſi Oſirapis: quae opinio tamquam a viro Aegyptio prolata,

lata, & patriarum superstitionum peritissimo, cum praecedentibus conferenda non est. Geminas illi adiiciam coniecturas, unam nempe significare *terrae Dominum*; nam *Apia*, ut diximus, *terram* significat; שר *Sar* vero, *Principem* notat a שור sur, *dominari*: quam notionem confirmat Macrobius Satur. Lib. 1. Cap. XX. tradens Serapim apud Aegyptios pro Deo maximo habitum: & eundem esse crediderunt ac Aegypti Genium, & terrae custodem. Alteram vero coniecturam, forte vero similiorem esse a שרף Sarap *urere*; unde שרפה Serephà, *combustio*, & שרפים Seraphìm, quod *accensos*, vel *accendentes* significat; nam, ut ait Plutarchus de Isid. & Osir. *Serapis idem ac Pluto habebatur*.

Serei. Ita appellabantur laetitiae dies. Plutarchus de Isid. & Osir. „ Carmosina, idest festum „ laetitiae diem, *serei* appellant Aegyptii „ Nomen est a סרח Sarach, quod inter cetera significat *luxuriari*, & *lascivire*. Videnda exempla 26. 12. & 13. & Amos 6. 4. 7.

Seth. Nomen synonymum Typhonis inditum a violentia. Plutarchus loc. cit. „ Itaque Aegyptii „ Typhonem *Seth* nominant, id significante vo„ cabulo, quod vi praevaleat. . . . Et ipsum no„ men Typhonis, quod eum *Seth* appellant, no„ tat id quod vi obtinet. „ Illud deduco a שאט seth, *diripere*, *depopulari*.

Sin. Antiquum Pelusii nomen, quo nuncupatur, Ezech. 30, 15. & 16. quasi *parturiens dolebit* סין Sin. Id nomen inditum est a limo, quem Nilus advehit, qui Graece ΠΗΛΟΣ; unde Pelu-

lusius, ut colligitur ex Strabone lib. 17. Idem quoque notat vox Hebraea, quae *limum*, ac *lutum* significat, ut in eum Ezechielis locum observavit Calmetus.

SMY. Alter synonymus Typhonis ex Plutarchi loc. cit. Typhon appellatur Seth, Bebon, & Smy; quibus verbis indicatur *violenta inhibitio*, *contrarietas*, *& inversio*. Nomen factum a שמד; unde השמיד Hiscmid, *perdere*, *delere*, *atterere*; ut Levit. 26. 30. Deuter. 2. 22. & 4. 3. Iosue 23. 15.

SOTIS. Hoc nomine Porphyrius de Nympharum Antro *Caniculam* adpellatam dicit ab Aegyptiis. „ Aegyptiis principium anni non Aquarius, ut a- „ pud Romanos, sed Cancer; nam prope can- „ crum est *Sotis*, quam Graeci *Canis Sidus* di- „ cunt. Neomenia autem est Sotidis ortus, quae „ generationis mundi ducit initium „ Hinc facile colligimus notionem huius nominis petitam esse a nativitate, & metaphorice a fecunditate, ut manifestius colligitur ex Plutarcho in toties citato libro, ubi non uno in loco tradit „ Solis con- „ versionem nuncupari Aegyptiace *Soti*; quae vox „ ΚΥΕΣΙΝ, ideft *graviditatem*, seu *foeturam* no- „ tat „ Huic vero stellae Caniculam fecundissimum animal in huius nativitatis, seu exortus, memoriam attribuerunt. Ab Aegyptiaco *sothi* Tusci nostri SATVM acceperunt, hoc est *natum*, seu *filium*, quae vox obvia est in Tabulis Eugubinis; unde & *satus* apud Latinos. Commune tamen omnibus thema est זרע Zarah *serere*; unde Graecis ΣΠΕΙΡΩ, Latinis *sero*.

STILBON. Mercurii stella, ut ex Chronico Alexan-

xandrino; Mercurium autem Stilbonta. ΣΤΙΛΒΩ Graecis eſt *coruſcare*; quanquam notio non ſatis conveniat Mercurio, qui cum omnium minime recedat ab eclitica, & a radiis Solis emergat, raro ſe nobis videndum praebet. At nomen Aegyptium compoſitum eſt ex *Stil*, & *Bun*. Prima vox Aegyptiis facile *ſtellam* ſignificavit; unde vox in Italiam venit: nec forte Graeci veteres hac dictione caruerunt; nam apud ipſos invenitur ΣΤΙΛΒΩ *luceo*, ΣΤΙΛΓΟΣ *lucidus*, & ΣΤΙΛΒΗ *lucerna*; unde ego ſuſpicor *ſtellae* nomen eſſe ex illis vocibus, quas Graeci intulerunt quidem in Italiam; ſed apud ipſos ex uſu deſierunt, ut *porcus*, *caper* & cetera. Deſcendit vero ex Hebraeo הילל Helel *ſtella*. BVN vero Anubin notat; nam בון Bun eſt *intelligere*; unde נבון Nabon *prudentem*, *ſagacem* eſſe: & בינה Binah notat *intelligentiam*, & *ſagacitatem*, unde Anubidis nomen factum eſt.

STIX. Nomen paludis in ſuperiore Aegypto circa Aethiopiae fines, in qua inſula Abatos, de qua in ſua voce, Iſiaco luctu celeberrima, quum ibi Oſiridis corpus ſepultum ſit. Servius in VI. Aeneid. verſ. 134. Maerorem hoc nomine notari dicit ΑΠΟ ΤΟΥ ΣΤΙΓΕΡΟΥ; quippe qui linguam Aegyptiacam Graecae filiam reputabat. Sed melius ſentit Voſſius de Idolol lib. 2. Cap. 81. circa huius nominis ſignificationem, tradens ΣΤΥΧΑ eſſe שתיקה *ſetickà*, eliſo ſcheva, ut ſiat *ſticka*. Notat ſetikà *ſilentium* שתק *ſiluit* vox apta defunctorum animis. Multae quoque voces dolorem exprimentes, & ad Infernam Fabulam pertinentes, quae nobis ab Hebraeis obvenerunt,

non

non aliter, quam a Graecis delatas esse puto; quanquam apud illos ut plurimum esse desierint, ut maeror מרירות merirut, a מרר *amaritudo* ab eodem fonte מרר marar, Graecis permansit ΘΑΝΑΤΟΣ *mors*, a תאניה Thaniha, ab אנה *maeror*, *planctus*, *tristitia*.

SYRIUS. Cognomen Bacchi ex Diodoro Sic. Lib. 1., ubi de Aegyptiis Diis loquitur „ Graecorum „ vero quidam, qui antiquiores Fabulas scripse- „ runt, Dionysium, *Syrium* cognomine appellant, „ quorum Eumolpus in Carminibus Bacchicis in- „ quit, Dionysium astrorum igne succensum „ ex quibus verbis suspicamur nomen inditum ab *igne*; & probabiliter quidem a שרף Saraph, *urere*. Hinc Syrius Canis.

SYRIS. Nomen Nili apud Aethiopes. Dionysius Perieg. de Nilo.

———————— *Syris ab Aethiopibus vocatur*.

quanquam Plinius Lib. V. Cap. 9. non toto eius decursui id nomen attribuat, sed parti tantum. Dubium interim an hoc nomen a calore Regionis, seu potius a navigatione factum sit; nam סיר Syr etiam *fluviatiles scaphas* significat, ut Exod. 16. 3.

T

TAPHOSIRIS. De hac voce haec Plutarchus de Isid. & Osir. „ Iam de Taphosiri disputan- „ dum non esse, quum ipsum hoc nomen signi-

ficet ſepulcrum Oſiridis. Graeci hanc vocem ſibi libenter uſurparent; nam ΤΑΦΩΣ illis ſepulcrum eſt a ΘΑΠΤΩ, *ſepelio*. Sed concedant oportet Hebraeis huius vocis originem; nam eſt a תפת Tophet, *locus profundus*, & barathrum cadaveribus proiiciendis aptum, de quo videndus Pagninus in hanc vocem.

Tartarus. Et hanc vocem Aegypto adcenſeo; nam ad traditionem Inferorum pertinet: nec vel minimum, quod Graecum ſit, redolet. Eſt autem reduplicativum vocis תאר Thaar, *terminare*, ac ſi dixeris *terminum terminorum*, ſeu *finem omnium*; nam haec reduplicatio in Hebraico aliquando multitudinem dicit, ut ab אסף Aſaph *congregare* אספסף Aſaph ſuph *congregatio*; a גרר garar, *ſecare*, *metere*, גרגר gargar *frumentum*. Aliquando indicat ſuperlativum, ut a צפה zapha *ſpeculari*, intenſiſſima ſpeculatio dicitur צפצף Zaph zaph; ab הר Har *mons*, locus *montuoſus*. הרר Herer, & *mons altiſſimus* in Armenia Hararat.

Thebae. Inter Aegyptiacas urbes nulli ſecunda; nam, ut ait Herodotus, ambitu fuit cxxxx. ſtadiorum, & centum portis inſignis, totaque penſilis, ut inde maximi exercitus, nullo oppidanorum advertente, educerentur. De hac Diodorus Sic. Lib. I. „ Fertur quoque tempore Iſidis condita eſſe urbs in Thebaida Aegypti, centum „ portarum a matre denominata „ Iſidis vero mater, ut idem tradit, *Rhea* nuncupata eſt, ut ipſe ſubdit „ Deinde Saturnum, qui ſororem Rheam „ cepit uxorem, aiunt exſtitiſſe, genuiſſeque ſe„ cundum aliquos Iſidem, & Oſiridem. „ Conſtat

ſtat igitur Iſidis matrem duplici nomine fuiſſe nuncupatam, *Rheam* nempe, quae & Tellus, & *Theben*. At id nomen ex Hebraico eſt; nam תבל Thebel, *terrarum orbem* ſignificat Pſal. 99. *Et ipſe indicabit* תבל Thebel *orbem terrae*. Ad huius ſimilitudinem Aegyptii Coloni Thebas in Graecia denominarunt, ſive ab alia huius vocis notione, quae terram habitabilem, ſive cultui aptam ſignificat: quanquam alii credant urbem dictam a תיבה Theba *Arca*, ſeu *Navi*, qua advecti, terram tenuerunt; quae derivatio nimis violenta mihi videtur.

THEMIS. Dea Iuſtitiae ex Hebraeo תם Tham *Iuſtum*; unde תמה Tamàh, *iuſta*, & תמם Thamam *iuſtum eſſe*, ut Geneſis Cap. VI. 9. „ *Noe vir rectus*, & תמים Thamim *iuſtus*.

THEONIM. Diodorus Siculus Lib. I. „ locus ubi Nilus in mare defluit, *Theonim* vocatum ferunt, antiquum Aegypti emporium „ Nomen *claſſem* ſignificat, a ſtatione navium ad urbem translatum, ut apud Ravennam factum ſcimus; nam urbis partem portui imminentem, *Claſſem* appellarunt. Nomen eſt ab אנה unde אני Ani *claſſis*. In plurali אניות Anioth.

THERMVTIS. Ita nuncupat Ioſephus Pharaonis filiam, quae Moyſem educavit Antiquit. Lib. 2. Cap. 3. Nomen compoſitum ex *Ther*, & *mut*. Primum notat *mundam*, a טהר Thara *purificare*; unde טהרה Theara, *munda*. Secundum vero *matrem*, ut in muth; quaſi dixeris *munda*, ſeu *pura mater*, ſeu *munditia matris*.

TINA. Nomen Palladis apud Tuſcos, quod *ſapien-*

pientiam notat; nam תנה Thana *Hebraeis* inter ceteras notiones *docere* significat, quemadmodum תנא Syris.

TYPHON. Huius historiam videre est apud Diodorum Sic. Lib. 1. & apud Platonem in Phaedro, qui nobis illum exhibet biformem, semiferum, furibundum, minas, & flammas spirantem, & immenso corpore praeditum, quo ad caelum usque perveniret. Plutarchus in saepe citato libro pluribus nominibus ab Aegyptiis nominatum tradit, & quae suis locis explicare conati sumus, *Typhon*, *Seth*, *Bebon*, *&* *Smy*; quibus nil nisi *violentia*, *contrarietas*, *&* *adversatio* significatur; Numen Aegypto infestissimum, quod eorum columen Osirin conspiratione facta perdiderit; sub cuius fabulae velamine putant Mythologi Physicam aliquam rationem occultatam contineri, quod nempe aliquando mare ventorum vi elatum, totam Aegyptum inundarit, atque perdiderit, ut nisi in superioribus Aethiopiae partibus, incolae una cum seminibus sese recepissent, atque servassent, esse desiissent. Videndus ad hanc rem Vossius de Idolol. Lib. 1. Cap 75., & Kircherius, qui totus est in huius gentis arcanis enucleandis. Nos nominis tantum originem indagamus. Si ipsum idem ac mare inundans esse reputemus, nomen est a צוף Zuph, *inundare*. Si vero ventum, a quo mare commotum est, est ipsum צפון Zaphon, *Aquilo*, *Boreas*; quod non modo de regione sumitur, sed etiam de vento Boreali, ut Isaiae Cap. 43. 6. „ dicam לצפון La„ zaphon Aquiloni da, & Austro noli prohibere. „ Hanc derivationem eo magis probo, quod Graeci hoc nomine *turbinem*, *ventum tortuosum*, & *tempesta-*

pestatum potentem, ΤΥΦΩΝΑ nuncuparunt, ut videre est apud Aristotelem *de Mundo*. Nomen certe Graecis peregrinum, nec quicquam commune habet cum ΤΥΦΩ, quod notat *inflammare*; nam nihil igneum in se habet, ut observat loco cit. Aristoteles „ Si ad terram usque collisum sit, i-„ gnisque interim nihil conceperit, Typhon vo-„ catur „ Ea vox ab Aegyptiis ad Graecos concessit. Delatum inde nomen in Italiam, celebre fuit apud Philosophos, Senecam, Plinium, Gellium, & reliquos paene omnes.

TZAFNAT. Pahaneah. Hoc nomine Geneseos 41. 45. a Pharaone vocatus est Ioseph „ Vocavitque Pharao nomen Ioseph צפנת פענח; nam in textu Haebraeo desunt verba, *lingua Aegyptiaca*, quae intelligentiae causa adiecta sunt in Versione; unde occasionem aliqui nacti sunt disputandi, an voces istae Aegyptiacae sint, an Hebraicae. Iosephus, Philo, Theodoretus, Chrysostomus, Chaldaeus Paraphrastes, & magna Rabinorum pars dictionem hanc ad propriam linguam revocant, & interpretantur *revelatorem Arcanorum*; nempe a צפן Tzaphan *abscondere*, unde צפון Tzaphon *arcanum*; quae vox reperitur apud Ezechielem 7. 22. & Iob. 20. 26. & ab alia radice פעם *operari*; unde Bugetius deducit פענח Paĥaneah *revelare*. Haec opinio adprobata fuit etiam a Divo Hieronymo Quaest. Hebraic. ubi has voces interpretatus est „ *illum qui res oc-„ cultas patefacit* „ Non longe recedit opinio Iosephi, & Philonis „ *qui res occultas revelat, qui „ somnia interpretatur*. „ Hos sequitur turba Rabinorum explicantium „ *occulta declarantem, illu-„ strantem, intelligentem, astutum, speculatorem,* „ *prae-*

„ *praevidentem futura* „ quorum consensu intelligimus voces hasce pro Hebraicis adprobari. His adstipulatur Symmachus, qui voces has vertit ΣΑΦΑΘ ΦΑΝΩ; quarum prima vox est a שפט Saphat *iudicare*, unde ΣΟΦΟΣ *sapiens*.

At contra Vulgata, cuius auctoritatem religiosissime sequimur, voces esse Aegyptiacas manifestissime innuit, cum ad faciliorem intellectum interponendum esse duxit parenthesim, *lingua Aegyptiaca*; conveniens enim fuerat, ut Rex Aegyptius Aegyptiaco titulo Regni Praefectum decoraret. Sed in ipso Aegyptiacae linguae sono vim Hebraici sermonis facile inveniemus; nam צפן Zaphan aliquando *abscondere*, aliquando *servare* significat, ut Psalm. 31. 20. „ *quam magna* „ *multitudo dulcedinis tuae, quam abscondisti timentibus te* „ littera Hebraea, quam sequitur Caietanus, grammatice habet „ *quam multa bonitas tua, quam servasti timentibus te* „ Nam hic *abscondere* metaphorice dicitur; nam qui servat, abscondit. Iterum in hoc sensu reperitur Proverb. 27. 16. „ *Qui retinet eam* (mulierem „ litigiosam) *quasi qui ventum teneat* „ & sensus „ est: *sicut ventus includi non potest, retineri, ac* „ *servari, quin diffluat; ita nec mulier litigiosa* „ Hanc notionem huius vocis, qua servare significatur, retinuit dubio procul lingua Cophtica, quae Tzaphat Pahaneah in versionibus explicat „ *Psotem, Phane*. A *Psotem* vero est Graecum ΣΩΖΩ, *servo*, & ΣΩΤΗΡ *Servator*.

Altera vox *Pahaneah*, quam Cophtitae vertunt *Phane*, nihil commune habet cum Graeco ΦΑΝΙΖΩ *appareo*; unde ΦΑΝΟΣ *apparens*; sed illi potius respondet altera vox pariter Graeca, sed ocultioris significationis, ΦΑΝΗΤΑ, qua Orpheus in Hymnis

nis vocat Deum illum Primogenitum Ovogenitum, nempe ex Chao, hoc eſt *univerſum*, quod caelum, & terram complectitur: quem etiam *Pana* nuncupavit in altero Hymno:

Pana voco fortem Mundi integrum
Caelum, & Mare, & Terram omnium reginam,
Et ignem immortalem; illa enim membra ſunt Panis.

Hinc facile intelligimus Pahaneah recte *Mundum* ſignificare, Cophtis *Phane* Graecis ΠΑΝΑ, ut innuimus in *Pan*. Quapropter in utraque voce Aegyptiaca, ſervata Vulgatae explicatione, primaevae linguae originem cognoſcimus.

TZOHAN. Nomen urbis, in qua Moyſis prodigia ſpectata ſunt, ut conſtat ex Pſalmo 77. 12. & 41. Aetate Iſaiae, qui illius malitiam obiurgavit, fuit inferioris Aegypti metropolis, haud longe a Ramo Peluſiaco, Graecis, & Latinis *Tanis*, Chaldaeis טאנים *Tanes*, Phoeniciis *Soon*, quod maxime accedit ad Hebraicum Tzohan. Vtra vox fuerit antiquior, definire non auſim. Favent pro Hebraica antiquiora omnibus Graecis teſtimonia; nam & Numer. 13. 23. legimus urbem Chebron exſtructam ſeptem annis ante צען מצרים Tzohan Mizraim, cuius auctoritas omnia Graecorum teſtimonia antiquitate excedit, & auctoritate: nec video, cur Moyſes Aegyptiacum nomen Aegyptiacae urbis debuerit immutare. Crediderim igitur nomen a Graecis uſitatum, poſterius eſſe. Primaevum eſſe puto a צען Tzahan, quod non modo ſignificat *translatum*, ſed etiam *diviſum*; quae notio optime congruit huic loco, in quo Nilus dividitur, adeo ut tradat Herodotus alteram ex Nili diviſionibus, *Tanicam* nuncupatam. *Tanis* vero

ab alia notione petita eſt, & ipſa Hebraica; nam טנא *Tene* aliquando ſignificat *horreum*, ut Deuter. 28. 5. „ benedicta טנאך Taneha *horrea tua, at-„ que reliquiae tuae* „; ita enim hanc vocem vertit Divus Hieronymus, ſenſum magis, quam literalem poteſtatem, ſecutus. Id vero nomen ei loco obvenit, non modo ob ſoli ubertatem; verum etiam, ut coniicio, propter horrea a Ioſepho conſtructa.

V

VENVS. Dictio Graecis ignota, quibus ΑΦΡΟΔΙΤΗ, ΚΥΠΡΙΣ, ΚΙΘΕΡΕΙΑ. Latuit diu etiam Romanos, ut conſtat ex Macrobio Saturn. Lib. 1. Cap. 12. Varro conſentit, affirmans nomen „ Ve-„ neris ne ſub Regibus quidem apud Romanos, „ vel Latinum, vel Graecum fuiſſe „ Immo Pauſanias Lib. 1. tradit antiquis Graecis etiam fuiſſe ignotum; ſed ab Aegeo e Phoenicia, & Cypro in Graeciam translatum. Tuſcis id nomen *Vendra* fuit, ut conſtat ex antiqua patera, redoletque originem Hebraicam; nam בן-טרה Ben-Thara *filia maris*; quippe טרה Thara notat *humiditatem*, unde Graecis ΤΑΡΑΣ Neptuni filius. Hinc Tarſus omnes fere urbes maritimae, & תרשיש Tarſiſc *mare, littus, portus*. Multa quoque Dearum nomina ab eadem voce בן Ben compoſita ſunt, ut *Bendis* Scytharum, *Benteſicime* Neptuni filia, apud Philoſtratum, & alia plura.

Haec in teſtimonium Hebraiſmi Aegyptiorum feſtinanter adnotaſſe ſufficiat, multo plura collecturis, ſi per otium liceat, & publicas ſolicitudines, inter quas haec veluti raptim adnotata ſunt, ut ex iis viam veluti ſternamus alteri Tractationi *de Hebraiſmo Latinorum*, quam in gratiam Etruſcae linguae brevi in lucem prodere meditamur.

IO. BAPTISTAE PASSERII

PISAVRENSIS

PROT. APOST. ET REGIARVM SOCIETATVM
LONDINENSIS ET OLOMVCIENSIS MEMBRI
NEC NON ACADEMIARVM CORTONENSIS
COLVMBARIAE ET PISAVRENSIS SOCII.

DISSERTATIONES

I. De aeheneo Iovis ſigno duplici ſerto coronato.
II. De Nummo aereo Balleorum.

ARGVMENTVM DISSERTATIONIS

I.

NVncupatoria ad Socios Columbarios, quibus eucharistici loco lucubratiuncula haec inscribitur, quod in eorum Coetum Auctor cooptatus sit.

II.

Singulare sigillum Iovis duplici serto coronati describitur. Symbolum ex eius manu delapsum per coniecturas inquiritur; comparatur cum altero sigillo Musei Carpinei; cuius occasione aliqua de Laribus observantur.

III.

Statuitur sigillum hoc ad Iovem potius, quam ad ceteros Deos, pertinere.

IV.

Ratio adducitur cur Iovi duplex corona in hoc atheneo sigillo adtributa sit.

V.

Coronae temporariae Diis additae in eorum solemniis.

VI.


Sacrorum certaminum victores, & triumphantes coronas sibi detractas in Deorum capita transferebant.

VII.

Vbi vero simulacra prae altitudine inaccessibilia essent, coronae ad eorum pedes, vel in sinum deponebantur.

VIII.

Huius sigilli pretium commendatur.



IVPITER ΠΟΛΥΣΤΕΦΗΣ

DISSERTATIO I.

AD SOCIETATEM COLVMBARIAM FLORENTINAM



I.



Vod me hominem alienigenam, & vix rumore tenui vobis denunciatum, in Coetum veſtrum cooptaveritis, & amantiſſime complexi ſitis, *SODALES NOBILISSIMI, ATQVE DOCTISSIMI*; non tantum gaudeo, quam erubeſco, tali impar beneficio; quum praeſertim acceptam gratiam *MVTVIS* non valeam *OFFICIIS* compenſare. Quicunque tamen ſim, ex quo unum veſtrum eſſe voluiſtis, parebo legibus communibus, & quos coram adire non poſſum, per Epiſtolas frequentabo. Et quidem opportuna ſcribendi occaſio nuper mihi oblata eſt, quum praeclariſſi-

rissimus collega noster GORIVS veteris sigilli aerei imaginem, quam ipse ex Museo lectissimo V. C. CAROLI FRIDERICK Equitis Angli depromtam, eiusque cura egregie delineatam, aereae tabulae diligenter incidendam curavit, atque ut ipse identidem solet, mihi obiecit contemplandam, atque explicandam; quod ubi, ut mei moris est, ex tempore praestitissem, constitui lucubratiunculam de eo exaratam, Vobis sistere, ingens iudicium vestrum in primis expectans, quo adnuente, periculum publicae lucis non formidabo.

II.

CImelium igitur hoc, cuius duplicem adspectum producimus, hominem barbatum repraesentat, unico pallio obvolutum, dextero brachio exserto, ac pectore, & ventre nudo; quae forma quantum a paganico cultu, & hominum usu recedebat, eo magis pertinebat ad divinum. Sic plerumque Serapidem, Aesculapium, ac Saturnum expressos intuemur, potissime vero ipsum Iovem. Dexteram vero eo gestu protendit, quo Consulum, atque Oratorum simulacra chartam involutam constringunt; quod insigne erat professionis vel dignitatis. Vbi vero novum hoc ornamentum in signo Numinis admiratus sum, in mentem subiit id minime habendum esse singulare, quum tale quid manu contineat celebratissimum illud Musei Carpinei sigillum litteris Etruscis adornatum, quod idem immortalis nominis Socius noster Gorius illustravit Mus. Etrusc. Tom. I. Tab. XX. in quo Larem domesticum mihi videor deprehendere, quem veteri religione sepositum, & supra familiarem modum deveneratum, Paterfami-

lias

[illegible]

TAB. I. pag. 108



SYMB. T 17

TAB. II. pag.



Huius magnit. ex aere exstat Lond. in Mus. Fredericiano

C. F. sc.

lias in loco aliquo publico adiecta dedicatione consecraverit; quae una mihi causa occurrit, cur hae imagunculae inscriptionibus ab Antiquis notarentur, quae in privato Larario inanes futurae erant. Constat vero Lares domesticos non modo omnem ornatum, sed & vultum excepisse; quum aliquando sub specie infantum, quandoque iuvenum expressi sint: quinimmo aliquando & barbati, aliquando inermes, saepe saepius armati, & insigniter cristati nobis occurrant. Inter cetera vero ornamenta, quae ex omni paene hominum exercitio expetita Laribus donabantur, nullus ambigo quin aliquando etiam volumina illis adtribuerentur, & in eorum manibus effingerentur, tanquam album familiae, cuius praesides erant, custodientes: quum alioqui sciamus prope Larium forulos tabellam suspendi consuevisse, in qua tot clavi infixi erant, quot numero homines in familia numerarentur; quam caeremoniam in Notis ad Vascularium Etruscam luculentissime demonstramus. Venia tamen mihi sit, si longius quam par erat, ab argumento aberravi, quum praesentis imagunculae cum Etrusca aliqualis similitudo coniecturam de illo meam, vel ab invito, eripuerit: quum ceteroquin icuncula illa eximia inter ignotiora monumenta censita sit, & usque adhuc Ignoto Deo fuerit adtributa.

III.

SYmbolum vero, quod in huius sigilli manu continetur, pugillar ne sit, aut aliud quidpiam simile, immo an integrum sit, seu potius alicuius instrumenti aetate corrupti vestigium, definiri non potest, nisi prius quale Numen hic referatur, con-

stitua-

ſtituamus. Saturnum in eo expreſſum eſſe minime crediderim, cui ſemper ſenilis adſpectus, & truculentior adtributus eſt. At contra huius ſimulacri ſpecies mediam refert aetatem, & quamdam cum maieſtate venuſtatem. Serapis ſemper modio inſtructus cernitur, tanquam praecipua officii ſui dote, & tricipite monſtro e latere poſito ſemper munitur. Aeſculapius ornatur ſemper baculo ſerpentigero, cuius nulla heic veſtigia, vel adminicula adparent, quae fere ſemper ſuperſunt in hiſce ſignis, quae unico opere fuſili una cum propriis parergis ducta ſunt. Quin immo huius ſigilli manus ita compoſita eſt, ut ſi virgam Aeſculapianam illi vel invito adiicias, conſtare nunquam poterit. Quapropter neminem video, qui potiore iure hanc imaginem ſibi vindicet, niſi forte IVPITER ſolus, cui & vultus convenit, & pallii forma, & caligae, inſuper & corona geminata. Pergo nunc ad geſtamen, quo eius dextera inſignitur. Hoc vero aſſequi facilius eſſet, ſi viri docti, qui antiquarium orbem adhuc illuſtrarunt, potiſſimam illius partem, ſcientiam nempe ſigillariam aliquando diligentius coluiſſent: puto enim tot, & tam varia ſymbola unicuique Deo fuiſſe adtributa, quot varia nomina illis adcenſuit Antiquitas. Anne putamus Iovem *Tribulem*, qui ΦΡΑΤΡΙΟΣ dictus eſt, & ΞΕΝΙΟΣ, hoc eſt *Hoſpitalis*, eodem habitu ac *Fulminantem* expreſſum fuiſſe? non quidem ut ratio ſuadet, & evincunt coniecturae? Quapropter ſi imagines illae nobis innoteſcerent, quibus ea adtributa explicabantur, diverſis ſane ſymbolis ornatae nobis adparerent, quod de Dapali Iove, ac Sereno in priore Lucernarnm libro monſtravimus. Nulla igitur ratione prohibemur credere, Iovi Curiarum Cuſtodi volumen

attri-

attributum, in quo Contribulium nomina ſignata eſſent: nec magis ibo inficias, Hoſpitalem, officii ſignum, teſſeram detuliſſe. Ne vero a communibus Iovis ornamentis recedere videamur, liceat etiam coniicere virgulam, quam hic continet, eſſe veſtigium fulminis, cui longa aetas geminam detraxerit cuſpidem, & intortos ignes: ſit denique ſceptrum, ſeu manubrium paterae ex eo genere, quo Etruſci utebantur. Quidquid ſit, cui manus diſpoſitio non repugnet, omnia ad Iovem pertinebunt.

IV.

QVod tamen ſigillum hoc noſtrum maxime commendat, illud eſt, quod duplici corona exornatur, unde nomen illi derivamus. Harum inferior ex ſolido circulo conſtat, qui ex auro intexto, ſeu purpura conſtare ſolebat. Strophium adpellat Plinius lib. XXI. cap. 2. ubi de coronis diſſerit „ *Tenuioribus utebantur Antiqui, ſtrophia appellantes, unde nata ſtrophiola. Quin & vocabulum ipſum tarde communicatum eſt inter ſacra tantum, & bellicos honores, coronis ſuum nomen vindicantibus* „ quod etiam colligitur ex Feſto in *lemniſci* „ *Antiquiſſimum fuit genus coronarum lanearum*. Hoc vero geſtamine Iupiter plerumque decoratur in Graecorum nummis, & ſignis ubique terrarum diffuſis: quamquam ob peculiaria illius attributa aliquando adpareat laureatus. Adeo vero tranſiit ſtrophiorum uſus ad ſacra, ut Sacerdotes, quod hoc veluti filamento caput praecingerent, ut pleriſque placet, Flamines dicti ſint. Sed praeter hanc inſignem Iovique communem coronam, quam ab artifice immobilem reportabat, acceſſoriam aliquando, & temporariam obtinebat

quo-

quoties hominum religio ſingulari aliquo cultu illum proſequebatur. Hanc autem caeremoniam huius ſigilli Artifex peculiari conſilio expreſſam voluit, quum priori coronae ſolidae, ſeu ſtrophio illi familiari lauream acceſſoriam ſuperimpoſuit, ſupraque cervicem non inſeruit, ſed collocavit; quam ſi detraxeris, nihil de ornatu Iovis imminueris.

V.

HAec vero caeremonia coronarum geminandarum frequens erat apud Antiquos: adventantibus enim diebus Feſtis, ſimulacra Deorum, quamquam ſtabiliter a Sculptore coronata, ſuperinductis convenientibus ſertis, iterum coronabantur, ut eorum quaelibet ΠΟΛΥΣΤΕΦΗΣ nuncupari poſſet. Sic Hipponae ſimulacrum roſis coronatum obiecit nobis Apuleius Metamorph. 3. „ *Reſpicio pilae mediae, quae ſtabuli trabes ſuſtinebat in ipſo fere meditullio, Hipponae Deae ſimulacrum praeſidens aediculae, quod accurate corollis roſeis recentibus fuerat ornatum*. Coronae floreae imponebantur etiam capitibus Larium. Tibullus 2. 1.

Rure puer verno primum de flore coronam
Fecit, & antiquis impoſuit Laribus.

& Plautus in Aulul. act. 2. ſc. 8.
Nunc thuſculum emi, & haſce coronas floreas,
Haec imponentur in foco noſtro Lari.

Horatius eos coronatos deſcribit ramuſculis roris marini, & myrti Lib. III. Ode 14.
Parvos coronantem marino
Rore Deos, fragilique myrto.

Tibul-

Tibullus vero ipsis adtribuit cororam spiceam lib. I. 2.

Hic placatus erat, seu quis libaverit unam,
Seu dederit sanctae spicea serta comae.

Hae vero coronae pro modulo minutorum Simulacrorum parvulae esse debuerunt, ut illorum capitibus instarent. Hinc tenuem coronam Laribus tribuit Iuvenalis Satyra IX. versu 137.

——————— *Lares, quos thure minuto,*
Aut farre, aut tenui soleo exornare corona.

quamquam non dubitèm aliquando coronas ampliores illis fuisse adtributas, ut auctor est Festus in *Donaticae*, qui nobis coronas describit „ *supra modum aptarum capitibus, quali amplitudine fiunt, cum Lares ornantur*. Huius vero instituti Simulacrorum coronandorum elegantissimum testimonium, atque monumentum superiore anno in agro Tuderte observatum est, dum rudera veteris Villae egererentur studio & opera Presbyteri Andreae Ioannellii patriarum antiquitatum illustratoris solertissimi; prodiit quippe inter cetera Antiquitatis vestigia marmoreum Genii signum, cuius caput circum circa claviculis ferreis munitum erat adhuc aliqua sui parte superstitibus, quorum ope serta haec temporaria, atque adcessoria sustinerentur.

VI.

SVperest ut de coronis Diis dari solitis ab iis, qui victoriam peperissent, breviter disseramus: nec enim institutum nostrum patitur ut ad quascumque coronas votivas, quae citra victoriam dabantur in templis, digrediamur. Quod tamen at-

tinet ad Triumphantes, atque Hieronicas, illud certe constat, religiosum fuisse, ut coronae tanquam res sacrae, & a Diis profectae, illis restituerentur. Hinc inolevit ea dicendi forma, Deos in Victoribus coronari: quod in Christiano homine intolerandum esse sentit Tertullianus de Corona, ubi vetuit „ *Olympium Iovem, & Nemeum Herculem, & misellum Archemorum, & Antinoum infelicem in Christiano coronari*. Nam cum divini instituti coronae putarentur, nonnisi perfunctorie eas humano capiti insidere posse reputabat. Ita ad rem Plinius Lib. XVI. Cap. 4. „ Corona *antiquitus quidem nulla nisi Deo dabatur. Novissime & in sacris certaminibus usurpatae, in quibus hodieque non Victori datur, sed patriam ab eo coronari praenunciatur. Inde natum, ut etiam Triumphaturis conferrentur in templis dicandae* „ Itaque nihil solemnius Romanis, quam Triumphantum coronas Iovi offerri. Suetonius in Domitiano Cap. 6. „ *De Sarmatis lauream modo Capitolino Iovi retulit*, & Ovidius IV. Tristium:

Et dabitur merito laurea vota Iovi

Et de Ponto Lib. II. Eleg. I.

——————— *Dabitur tua laurea templis*.

& rursus Lib. IV. Eleg. IV.

Danda Iovi laurus.

VII.

AT plerumque vetabat ipsa Simulacrorum proceritas, quominus accessoriae hae coronae in eorum cervice locarentur. Tunc vero introductum est, ut ante illorum pedes statuerentur: quod mirifice declarat locus Propertii Lib. II. Eleg. ad Musam: *Vt*

Vt caput in magnis ubi non est tangere signis,
Ponitur hic imos ante corona pedes.

Id ipsum praecipue contingebat in signis recta stantibus. At in sedentibus, institutum fuit ut coronae in eorum gremio locarentur, prout cum Capitolino Iove factum fuisse omnes uno ore testantur, ex quo cessit ille antiquus

Fictilis & nullo violatus Iupiter auro,

illique successit eburneus, seu aureus ad similitudinem Olympici efformatus, tantae molis, ut vix illius genua a sacrificantibus essent adeunda. Quapropter fieri coepit, ut coronae in eius sinu locarentur. Silius Lib. XV.

——————— *Laurumque superbam*
In gremio Iovis exscisis deponere Poenis.

Et Pacatus in Paneg. Theodos. „ *Depositis in gremio Capitolini Iovis laureis, triumphales viri rusticabantur*. Et Seneca de consolatione ad Helv. Cap. X. ita de M. Curio locutus est „ *Scilicet minus beate vivebat Dictator noster, qui Samnitium legatos audiit, quum vilissimum cibum in foco ipse manu sua versaret, illa, qua iam saepe hostem percusserat, lauream que in Capitolini Iovis sinu collocarat* „ Plinius quoque Lib. XV. Cap. 30. eiusdem caeremoniae luculentissimum testimonium scriptis demandavit „ *Ex his* (coronis) *in gremio Iovis optimi maximi deponuntur, quoties laetitiam parta victoria attulit*. Alterque Plinius in Paneg. Cap. 8. „ *Adlata erat ex Pannonia laurea. Hanc Imperator Nerva in sinu Iovis collocarat*. Qua-

mobrem Statius Silv. I. 41. ut ſignificaret Indos nondum a Romanis fuiſſe ſuperatos, hac eadem formula uſus eſt:

Nondum in gremio Iovis Indica laurus.

Ceterum etiam in eiuſdem ſimulacri vertice coronas mobiles, illaſque pretioſiſſimas, & quae proinde furto ſubripi potuiſſent, exſtitiſſe colligitur ex Trinum. Act. I. Scen. II.

Nam nunc ego ſi te ſurripuiſſe ſuſpicer,
Iovi coronam de capite, e Capitolio
Quod in culmine adſtat ſummo, ſi id non feceris,
Atque id tamen lubeat ſuſpicarier:
Quid tu id prohibere me potes, ne ſuſpicer?

Quod igitur privata, & publica veterum religio praeſtare Diis ſolebat, quum coronas haſce temporarias illis quamquam ſtabiliter coronatis ſuperponebant, hoc idem exprimere voluit Artifex aerarius, qui ſigillum hoc concinnavit; quod praeter conſuetam Iovi coronam, qua ſimulacri tempora revinxit, alia quoque cumulavit, eamque cervici eius impoſuit.

VIII.

QVum tamen hoc ornamentum in aliis Simulacris hactenus a me perluſtratis obſervare datum non ſit, facile colligitur quanto in pretio ſigillum hoc habere debeamus. At haec, & multo plura ſperanda eſſent a ſcientia ſigillaria, quae adhuc apud quoſdam negligitur, ſi ſtudioſius excoleretur. Nempe in hac latitat veterum Mythologia, & ſymbolorum intelligentia; in hac Deo-

rum

rum omnium ſchemata, & differentiae continentur, quae ſine ingenti eorumdem cimeliorum collectione, in qua viri docti meditentur, minime adſequemur. Impedit vero, quominus haec Antiquitatis provincia accuratius illuſtretur, ipſa plerumque ſuburbana, atque rudis ſculpturae ſpecies, qua ut plurimum haec ſigna conſtant, potiſſime quae antiquiora ſunt, & Tuſcanicum ſtilum redolent, & quae proinde minus probantur ab his, qui oculis magis, quam ingenio indulgere ſolent. Deterret etiam omnium conatus ipſa ſumptus magnitudo privatas vires longe ſuperantis. Quidquid interim raptim carpere hinc, atque inde datum eſt, quo Antiquitas illuſtretur, pergamus colligere, *VIRI ORNATISSIMI*, & ingentiores auſus ſeculis felicioribus, ſi qua ventura ſunt, relinquamus.



DE NVMMO BALLAEORVM

DISSERTATIO II.

AD INCLVTVM ORNATISSIMVMQVE


EQVIT. MANFREDVM MALASPINAM

FILACTERIAE ET TERRAE RVBRAE

MARCHIONEM. PATRICIVM

FLORENTINVM.

I.



ACcepi nuper, *MALASPINA MARCHIO NOBILISSIME*, Numiſma maximae formae, in quo ſpirantem imaginem tuam non ſuſpexi modo, ſed & complexus ſum; praecipue quum non tam corporis ſpeciem, atque oris tui dignitatem intueri in illo mihi datum ſit, quam teſtimonium tuae humanitatis in me ſingularis; quippe quia tam eleganti Cimelio mihi ultro oblato ſacrarium Muſarum mearum adornare voluiſti. Quum vero neſcirem quonam pacto tibi gratias referrem, in mentem ſubiit, ut lucubratiunculam hanc, quae eſt de nummo BALLAEORVM tibi ſiſterem, nummum quodammodo rependens pro nummo. Huius ſpecimen mecum nuper communicavit Praeclariſſimus Amicus noſter Gorius, qui ex penetrali ſuo monumentum hoc ſingulare produxit, & aeri incidendum curavit. In eius antica caput iuvenile obſervatur, brevi capillitio, & Maurorum more criſpo ornatum: in poſtica vir ſtans virgam dextera ſuſtinet, ſubligaculo femore tenus praecinctus, cetera nudus, adiecto lemmate hoc:

ΛΛΑB



Æ

Numi Magnit.



SYMB. T. IV. *Ex Museo Goriano.* *pag. 118.*

ΛΛΑΒ
ΥΟΙΑ

In hiſce vero notis, quae alioqui Graecae ſunt, duo mihi notanda occurrunt. Alterum nempe quod a dextera in ſiniſtram dirigantur, more Orientalium populorum, immo & antiquiſſimorum Graecorum, quibus haec ſcribendi forma ſolemnis fuit, ut in Roncalienſibus meis demonſtratum eſt. Alterum vero, quod in hoc nummo notandum occurrit, eſt ipſa vocis intercifio: quum enim in ceteris nummis ſcriptura orbem circumeat; heic tamen vox diviſa ad caput redit. Haec vero inſcriptio non urbem notat, ſed populum: eſt enim ex eo genere nominum, quod Grammatici *gentile* adpellant; nam ΒΑΛΛΑΙΟΣ eſt a ΒΑΛΛΑ, quemadmodum a ΠΕΤΡΑ fit ΠΕΤΡΑΙΟΣ, a ΠΕΛΛΑ, ΠΕΛΛΑΙΟΣ. Noſtrum vero ΒΑΛΛΑΙΟΥ notat ſecundum caſum numeri ſingularis, ut a *Lacinio*, & *Lavinio*, eſt *Laciniatis*, *Laviniatis*. Sed haec forma inſcribendorum populorum in nummis inuſitata eſt, neque ad rectam ſignificationem trahi poteſt, niſi ſubintelligamus vocem intermiſſam, ac ſi dictum eſſet „ *nummus Populi Ballaei*, nummus populi Laviniatis, nummus populi Laciniatis. Vſitatius vero in nummis, in quibus gentile nomen inſcriptum legitur, eſt obliquum pluralis numeri, ut in noſtro veteri nummo Piſaurenſium eſt ΠΙΣΑΥΡΙΩΝ: quae forma communis etiam fuit ceteris huius plagae populis, ut videre eſt apud Goltzium. Suſpicor tamen in poſtrema huius nummi litterula lineam unam decidiſſe, in tantum, ut mens artificis fuerit inſcribere ΒΑΛΛΑΙΩΝ. Tunc enim huius nominis forma ceteris, quae frequentiora ſunt, reſpondebit.

II.

REstat, ut urbem hanc, seu populum orbi nummario adhuc incognitum, ab antiquis Geographis expetamus: quod nec facile sperandum est in tanta veterum nominum corruptione; nec si inveniatur, sine controversia abibit, ex quo multae eiusdem nominis urbes nobis occurrunt; quamquam pro varia populorum dialecto saepe saepius detorqueantur. Duo tamen inter ceteras urbes sunt, quibus libenter hunc nummum adscriberem, nempe ΒΑΛΛΑ in Macedonia, & ΒΑΛΙΣ in Libya. Quapropter coniecturas recensebo, quae utrique favent: demum cui magis inclinem, libenter declarabo. Favet pro Macedonica ipsa derivativi nominis recta ratio; nam ΒΑΛΛΑΙΟΣ est a ΒΑΛΛΑ, ut nos monet Stephanus de Vrbibus: ΒΑΛΛΑ, *πόλις Μακεδονίας, ὡς Πέλλα. ὁ πολίτης, Βαλλαῖος. Θεαγένης ἐν Μακεδονίᾳ, Βαλλαίους μεταγαγὼν εἰς τ̃ νῦν λεγόμενον Πύθιον τόπον*. „*Balla oppidum Macedoniae sicuti Pella. Oppidanus* Ballaeus. *Teagenes in Macedoniae descriptione: Ballaeos transferens in locum nunc Pythium adpellatum*. Quae praeclari Scriptoris auctoritas rem adeo in claro poneret, ut nummum Ballaeis Macedoniae adsignaremus. At, si antiquiores Stephano Auctores consulamus, adeo diversam huius nominis pronunciationem inveniemus, ut nullum penitus fundamentum in ea grammaticali terminatione constituere valeamus. Nam Galenus, multo antiquior Stephano, in explicatione vocum Hippocratis, urbem hanc non *Ballam*, sed *Balleam* nuncupat, quam Ortelius in Thesauro eamdem ac Ballam esse putat. Hanc rursus, ut ad antiquiores ascendamus, *Vallam* nuncupat Plinius Lib. IV. Cap. X. Macedoniam describens „ *Intus Haloritae*, *Vallei*, *Phy-*

Phylacei. Ptolemaeus vero nuncupat *Vallas*, illasque in Pieria collocat

		Pieriae
Phylace	———	49. 20. 39. 30.
Vallae	———	49. 40. 39. 30.

Cuius quidem menſurae indagine urbem hanc in accuratiſſimis tabulis inveni collocatam haud longe ab ora Thermaei ſinus inter Aliacmonem, & Heliconem fluvios, non procul ab Olympi radicibus ad Boream. Haec vero Scriptorum diſcrepantia, apud quos urbs iſta modo eſt *Balla*, modo *Valla*, quandoque *Balea*, aliquando *Vallae*, facile procedit a veterum pronunciatione; nam litteras B & V conſonantem facile confundunt; unde haec differentia ad ſonum potius, quam ad ſubſtantiam pertinebat. Quum vero ignoremus, quae fuerit recta pronunciatio eiuſdem nominis ea aetate, qua nummus percuſſus eſt, quae dubio procul Scriptorum, quos adduximus, tempora excedit, non eſt cur immoremur in auctoritate Stephani, qui omnium recentiſſimus eſt. Nullam vero coniecturam conſtituere valemus ex ipſis nummi ornamentis, quae nihil paene nobis ſuggerunt, ex quo Macedoniae urbi nummum adſignemus.

III.

AT intuenti mihi, & diligentius conſideranti in hoc nummo criſpam illam capillitii formam, quae frequenter occurrit in Africae nummis, in quibus Maurorum Heroum capita expreſſa ſunt, (quorum plurima obſervantur hic Piſauri in Muſeo opulentiſſimo Clariſſimi Oliverii mei, cuius doctrinam, reliquaſque animi dotes totus iam litterarius orbis perſpectas habet); in dubium incidi, an nummus iſte inter Africanos recenſendus eſſet;

qua-

quapropter vaſtos illius terrae tractus ſcrutari incoepi, an urbs aliqua huius nominis in ea occurreret; & in primis Ballenem inveni in Caeſarienſi Mauritania inter Minam, & Caſtra Nova, ſedes olim Epiſcopales, in ipſa via unde a Cala itur Ruſucurrum. Hanc Antoninus Bellenem vocat„

Item a CALA *Ruſucurro*	M. P. CCCXCIIII.
Sic. Ad RVBRAS	M. P. XX.
Ad ABBVLAS	M. P. XXX.
Ad DRACONES	M. P. XIIII.
Ad REGIAS	M. P. XXIIII.
TASACCORA	M. P. XXV.
CALTRA NOVA	M. P. XVIII.
PELLENE PRAESIDIO	M. P. XX.
MINA	M. P. XVI.

Balianam quoque invenio in ea regione, cuius Epiſcopi Caecilius, & Pancratius in Hiſtoria Eccleſiaſtica memorantur. Nec plane ſilentio praetereunda erat Baleſa in Mauritania, quae & ipſa ſede Epiſcopali decorata fuit. Sed neutri ex iſtis urbibus nummum Graece inſcriptum adſignarem; quippe eae cum Punica lingua uterentur, non modo proprios, ſed & Siciliae nummos, donec in ea regione dominatum obtinuerunt, propria lingua, & charactere ſignare conſueverunt. Hac eadem ratione moveor ut nummum hunc denegem alteri Balae, quam Ioſue Cap. 2. 15. in tribu Iuda cenſitam obſervamus; itemque alteri, quae & Segor dicta fuit, quae nullum proprium nummum, donec Regibus Iudae paruerunt, habuere. Qui vero ſub Romanis Principibus in ea regione cuſi ſunt, longe aliam indolem, & ſtilum ſpirant.

IV.

VNA reſtat Balis in Libya Cyrenaica, de qua haec Stephanus „ Βάλις, πόλις Λιβύης πρὸς

τῇ

τῇ Κυρήνῃ, ἀπό τινος Βάλεως, οὗ καὶ ἱερὸν ἔχει. ὁ πολίτης, Βαλῖτες „ *BALIS*, *urbs Libyae iuxta Cyrenen, a Bale quodam ita dicta, cuius etiam templum habet. Civis, Balites:* forte eadem, quam Pausanias in Corinth. Balaganas adpellat, & quas in Cyrenaica reponit. Plura vero sunt, quae suadent ut huic potius, quam aliis eiusdem nominis urbibus singularem hunc nummum adtribuam; nam & caput in antica signatum Africam spirat: integra vero imago stantis in postica facile repraesentat Balim ipsum, a quo nomen urbs accepit, & qui in illa colebatur; nam hasta ornatur, quae inter insignia divinitatis computatur. Nudus praeterea adparet, nisi quod femore tenus subligaculo praecinctus est: quod non modo verecundiae, sed & religioni tribuendum est; quum plurima Aegyptiorum Numinum, & Sacrificulorum simulacra hoc more obvelata videamus. Fuit etiam veterum Graecorum, & Romanorum disciplina circa Athletas, atque Ludiones. De primis haec habentur apud Dionysium Lib. I. „ *Post quos Athletae graviorum, leviorumque certaminum nudi cetera, pudenda tantum tecti subligaribus campestribus: qui mos Romae mansit; sicut olim fuit in Graecia, in qua nunc antiquatus est, orto a Lacedaemoniis initio. Primus nudavit corpus, & nudus in Olympiaco stadio decucurrit Acanthus Lacedaemonius Olympiade XV.* Rursus de Romanis haec Cicero de Off. Lib. 1. 35. „ *Scaenicorum mos tantam habet veteris disciplinae verecundiam, ut in scaena sine subligaculo prodeat nemo.* Hunc vero Deum Balim facile quis cum Belo, vel Baal Assyriorum, & Phoenicum confunderet, quum praecipue Carthaginienses inde originem, & religiones traduxisse dicerentur. In qua sententia fuit etiam Stephani Scholiastes in locum memoratum „ *Nomen*

men

men hoc formatum est ex Punico Bal, cui graeculi terminationem adiecere. Servius ad Lib. I. Aeneid. *Lingua Punica Bal dicitur. Apud Assyrios autem Bel dicitur quadam sacrorum ratione Saturnus, & Sol*„. Est autem haec vox a בעל Bahal *dominari*, nec non *dominum*, & *possessorem* significat. Hinc tanquam dignitatis insigne propriis nominibus apud Carthaginienses addita est, ut in Hannibal, Hadsdrubal &c. Sed ex his, quae infra subiiciemus, manifestum erit hanc Africae urbem Graecae originis esse, adeoque non ab Orientalium superstitione, sed a patriis institutis hanc divinitatem fuisse mutuatam. Mihi magis adridet Balim hunc fuisse ipsum Coloniae deductorem, a quo nomen suum urbs sortita est. Quanto vero studio conditores urbium suarum Graeci prosequuti sint, passim ostendit Pausanias. Hanc autem consuetudinem eo magis, quum in Africam secesserunt, retinuere; nam ipsi veteres Africae indigenae, in more habuerunt, defunctos Reges suos pro Diis passim habere; quod manifeste ostendit Strabo Lib. XVII. „ *Eos, a quibus beneficium acceperunt, & Reges pro Diis habent, ac putant Reges communes omnium custodes, & servatores esse*. Id ipsum institutum manifeste confirmat Diodorus Siculus Lib. III. Tertullianus in Apologet. Cap. 24. Cyprianus de vanitate Gent. & Lactantius Lib. I. Cap. 15. Hinc factum est, ut Mauri Iubam Regem consecraverint, ut tradit Minutius Felix in Octavio „ *Iuba Mauris volentibus Deus est*. De Sicheo quoque a Carthaginiensibus culto multa habentur veterum testimonia, quae in Acherontico adduximus. At ne longius ab huius nummi officina recedamus, certum est finitimos illi Cyrenenses Battum suum non consecrasse modo, sed & pro Deorum maximo habuisse, quum in eius

urbis

urbis nummis nihil aliud fere videndum occurrat, quam ipſius Batti caput, eiuſque ſingulare decus celebratiſſimum ſylphium: quae omnia tanti ponderis apud me ſunt, ut non temere factum cenſeam, ſi in huius nummi averſa parte ipſum Deum Balim urbis conditorem expreſſum ſuſpicemur.

V.

AT plura ſunt, quibus haec noſtra coniectura forte exagitetur, & illud in primis quod Graecus nummus Graecae urbi potius, quam Libycae tribuendus veniat; quum, ut ſupra diximus, Africa proprio charactere, & idiomate in moneta obſignanda uſa ſit. At memores eſſe oportet, Cyrenem, huic noſtrae urbi propinquam, Graecorum Coloniam fuiſſe: quod praecipue diffuſa narratione recenſuit Herodotus in Melpomene, & multiplici loco indicavit etiam Pauſanias, ſcilicet in Phocicis „ *Cyrenei Delphis Batti ſtatuam poſuerunt in curru, quod is ex inſula Thera eos in Africam duxiſſet in Coloniam*. Rurſus vero in Loconicis Anchionem Batto ſocium iungit „ *Hunc Anchionin cum Batto in Africam claſſe profectum, Coloniam Cyrenen deduxiſſe, eique in eiiciendis finitimis ſocium fuiſſe tradunt* „ Strabo vero Lib. 17. eos Laconica origine fuiſſe tradit „ *Cyrenem Theraei condidere, qui ex Laconica profecti Theram inſulam coluerunt* „ Hinc perpetua Cyreneuſium cum Graecis amicitia ſtetit, in tantum, ut Plutarcho teſte in libello ad Principem ineruditum, Cyrenenſes Platonem rogaverint, ut leges illis conſtitueret; quod tamen ille recuſavit, quod propter populi nimiam felicitatem ipſum legum impatientem reputaſſet: quod etiam in Luculli vita confirmavit. Floruere praeterea illi in omnibus Graecis diſciplinis tam valde, ut inter Philoſophos

Cy-

Cyrenaica Schola ſummam laudem obtinuerit, in qua Ariſtippo inſtitutori ſucceſſit Arete filia, illique iterum prioris nepos Ariſtippus, quadam ſapientiae hereditate. In hac vero ſecta praecipue memorantur Anniceris a Strabone, qui illam emendavit, & Antipater atque Epitimedes, quos Strabo, & Laërtius commendarunt. Graeca quoque ſtudia nobilitarunt in ea regione Callimachus Poëta, quem Catullus Battiadem ſemper adpellat, & Eratoſthenes Hiſtoricus a Strabone, & Stephano in hac urbe memoratus. Minime vero mirandum eſt in illa Africae parte Graecas artes adeo floruiſſe; quum non modo Graeciae appoſita, & quodammodo obiecta ſit; ſed inter utramque omnium facillimus, & breviſſimus pateat adceſſus. Idem Strabo Lib. 17. „ *Cyrenenſium portus contra occidentalem Cretae extremitatem, hoc eſt Arietis frontem, iacet mille ſtadiorum intervallo. Navigatur ante Leuconoto.*

VI.

Reſtat ut paucula de origine nominis huius urbis ſubiiciamus, quoad in re obſcuriſſima per coniecturas licebit. Quod unum certum eſt, multae fuere toto orbe terrarum civitates, quae hoc nomine dictae ſunt, vel ab eiuſdem nominis origine paululum perturbata denominationem acceperunt. Nam praeter Macedonicam Ballam, & Belam Phoeniciae, ceteraſque plurimas, quas in Africa recenſuimus, haec nobis apud Auctores vel primo obtutu occurrerunt:

Ballata in Meſopotamia apud Ptol. Lib. 5. Cap. 8.
Balagea in Arabia ibidem Cap. 19.
Balatea pariter in Arabia apud eumdem.
Balisbega in Armenia ex eodem auctore Cap. 13.

Bal-

Ballenae Mons in Phrygia apud Plutarch. Geog.
Ballera in Hispania apud Sallustium.
Ballegaria rursus in Hispania.
Balliace in Illyrico apud Strabonem Lib. 17.
Balacri in Oriente apud Curtium Lib. 4.
Balanagrae in Cyrenaica apud Pauſ. in Corinth.
Balaretanus limes in Africa ex Notitia Imperii.
Balbura in Lycia apud Stephanum.
Balcea in Teutrania apud Plin. Lib. 5. Cap. 30.
Balesium in Messapia apud Plin. Lib. 3. Cap 10.
Balearides insulae ex eodem Lib. 3. Cap. 5.
Balerides insulae apud Sardiniam apud eundem Lib. 3. Cap. 7.
Ballania in Phoenicia apud eundem Lib. 5. Cap. 20.
Baltia Oceani insula apud eumdem Lib. 37. Cap. 4.
Balsa rursus in Cyrene apud eumdem Lib. 5. Cap. 5.

Hinc colligimus in eadem regione Cyrenaica fuisse Balim, Ballam, ac demum Balanagram, quae ex eodem themate videntur nuncupatae, quibusdam tantum adiectis signis, ex quibus una ab altera distingueretur; nam Balanagra, ni valde fallor, Balam indicat in loco excelso constitutam, ab ΑΚΡΟΣ, unde Acropolis, & Acrocorinthus, aliaque similiter composita. Hinc ΟΚΡΟΣ, quod idem apud Graecos significat: quae vox in Latium concessit, qua montium aspera, eorumque cacumina significantur, unde urbs in edito loco posita a situ *Ocriculum* dicta est, ut notavi in Tractatu de nominibus Vrbium. Sed utraque vox est ab Hebraeo אחר *achar*, unde אחרן *acharon*, cuius duplex est notio; nam & summum, & extremum, seu ultimum indicatur. Hinc Acheron fluvius Inferorum, quod observatum est in altero Opusculo de Hebraismo Latinorum. Quod vero ad Balam, seu Ballam spectat, ceterasque, quas recensuimus ur-

bes

bes, quibus una fuiſſe videtur origo nominis, illa ſi quid recte ſentio, minime a Graeco eſt; nam ΒΑΛΛΩ *iaculor*, nullam mihi ingerit imaginem, quae in urbium fundatione nomen illis effecerit; nempe haec vel a conditore, vel ab eorum religione, ſeu a loci natura, demum ab auguriis petebantur, ut in memorato Tractatu demonſtratum eſt. Putarim potius Ballam, ſeu Balam eſſe a radice בלל *confundere* ſeu *miſcere*, quae notio optime conveniebat urbibus illis, quae a multorum populorum una coëuntium concurſu fuerunt conſtitutae, ut omen faceret concordiae, quemadmodum omnibus par gratia referebatur. Hanc ipſam ideam explicat nobis vox medio aevo frequenter uſitata ad oppida denominanda, quae ex multis una confluentibus incolis conſtituta ſunt. Quia vero in urbium fundatione haec populorum commixtio ſaepe accidebat, huic a lingua, quae omnibus tunc communis erat, inde nomen Ballae, ſeu Balae, factum fuiſſe exiſtimo.

Haec fere ſunt, *VIR NOBILISSIME*, quae de huius nummuli origine, emblematibus, atque nomine coniicere potui: quae ego a Te, ceteriſque litteratis viris excipi, atque amplecti minime praeſumo; nam ſatis, ſuperque conſultum putavero ſtudiis meis, ſi ea ſapientiorum curioſitatem acuerit, atque excitaverint, ut meliora ab ipſis proferantur. Quod ſupereſt gratiae habdenſunt *CLARISSIMO GORIO* noſtro, qui omnem adhibet diligentiam, ut undique conquiſita ſibi compararet eximia haec Vetuſtatis monumenta, ſatagitque, ut vel ſuo, vel amicorum ſtudio in dies in lucem ea proferantur, & in bonum Litterariae Reipublicae cedant.

DE

DE CRASSITIE LATERVM

QVIBVS VETERES IN MAGNIS MOLIBVS ET SVBSTRVCTIONIBVS VTEBANTVR

EPISTOLA

IACOBI BELGRADI SOC. IESV PRESB.

In Academia Parm. Pub. Math. Prof. & Acad. & Inſt. Bon. Soc.

AD

ANT. FRANCISCVM GORIVM

ON deerunt, V. C., qui rem leviſſimam, nec auribus tuis, nec mathematico viro dignam, allaturum me tibi exiſtiment, ſi laterum craſſitiem, quibus plerumque in ingentibus aedificiorum molibus, & ſumtuoſis ſubſtructionibus veteres Romani uterentur, Epiſtolae ad te ſcribendae materiam ſumpſero. Verum huiuſmodi homines ii erunt, qui idem de mechanicis diſciplinis, utpote quae de malleis, de clavis, de vectibus agunt, hoc eſt de rebus in medio poſitis, & a proletariis hominibus pertractatis, iudicium ferent. Quidni iidem reprehenderint totius Antiquitatis ſtudioſiſſimos, hoc eſt tui ſimillimos, qui in ſuis Cimeliis tripodas, ſartagines, petellas, ollas veterum religioſiſſime ſervant, & exotica monumenta undequaque conciunt, & arceſſunt. Aut ego fallor, aut nihil eſt in tota antiquitate, & in architectonica arte, cuius pertractatio humilis, ac levis cordatis hominibus vi-

deri debeat: ex tenuibus enim elementis opera ingentia conflantur, & quae vulgo minima habentur, plus in recessu dignitatis habent, quam in fronte, atque conspectu praeseferunt.

Quum vetera Vrbis Romae monumenta, ac reliquias superiore anno lustrarem, quaerere subiit id quod in magnis molibus adhuc superstitibus animadverteram, cur scilicet pleraque constarent lateribus longe iis gracilioribus, quibus vel nos utimur, vel veteres etiam in privatis aedibus minus amplis uti consueverunt. Consului illico Vitruvium, ac Plinium, quos noveram accurate de laterum structura, atque opificio scripsisse. Verum homines ceterum diligentissimos in re scilicet una dormitasse deprehendi, quam ab ipsis avide conquisiveram. Definiunt sane ipsi, quam latos, ac longos lateres esse deceat, & imprimis Vitruvius tria eorum genera proponit, eorumque magnitudines describit. De crassitie vero nihil penitus perscribunt, ac sanciunt. A veteris Architectonicae artis magistris ad iuniores consulendos accessi, duosque imprimis magistros gravissimos Albertum, atque Scamotium. Ille unice memorat quid alicubi animadverterit, scilicet, inquit, lateres vidi sex circiter digitos longos, tres latos, & unum crassos, nec ultra quicquam subiecit. Scamotius vero conqueritur, quod veteres auctores nihil de laterum crassitie praescripserunt: tum coniiciendo attingere rem ipse putat, Romanorum laterum, quum sesdecim digitis in longum, octo in latum porrigerentur, crassitiem quatuor scilicet digitis constitisse. Verum idem, quum vetera aedificia, ac templa, cuiusmodi sunt Pantheon, Circus maximus, & alia huiusmodi Romae

co-

coram consuluisset, animadvertit, alios sane in hisce molibus laterum modulos, aliam crassitiei legem fuisse propositam. Quum enim aliqui xxiv. digitos in longum producti essent, non ultra duos digitos crassi inventi sunt, hoc est, longe iis graciliores, quos usus in Italia aetate nostra praescripsit. Mirabuntur sane nonnulli veterum Architectorum consuetudinem, nempe penitus supervacaneam, & nimis sumtuosam redarguent. Diutius enim, ac serius moles perficitur, quae minoribus partibus coagmentatur, & magis operae exigit, ac laboris. Verum, si ad vivum rem resecabimus, non modo non inepte, sed etiam sapientissime id a veteribus factitatum inveniemus. Id ego hac in Epistola luculentissime demonstrare, quantum in me erit, nitar; & si qua vel minus veritati consentanea, vel minus proposito opportuna afferam, tuum erit, V. C. iudicium ferre.

III. Qui molem marmoream, vel lateritiam construendam suscipiunt, id imprimis sibi proponunt, ac spectant, eiusdem scilicet firmitatem. Aedes enim firmae tutius ac diuturnius domicilium dominis praestant. Ita sine casus periculo domus incolitur, nec frequens indiget instauratione. Tria potissimum rationum momenta sunt, cui graciles lateres in ingentibus praesertim molibus probem. Quo crassiores lateres conflas, eo minus in fornace coquuntur, seu, eo minus vis ignea intimos eorum sinus pervadit, ac subit: quare inaequalibus incalescunt, ac fervent. Dum enim extimae superficies flamma circumstante exardescunt, intimae vel unice tepent, vel saltem longe minorem caloris gradum, ac mensuram concipiunt: quod sane absurdo, ac vitio non caret. Aliis enim igne

rarescentibus, aliis vero densis perstantibus, necesse est, ut nexus intercidat, vel fatiscat. Illud etiam nosti, simul ac lateres conflati sunt, sub dio aliquando retineri, donec intra, humore amisso, exaruerint. Verum, si qui minus graciles sunt, aegrius intimum humorem elabi sinunt, & in aërem apricum diffundi. Quare non intelligo, quaenam firmitas huiusmodi lateribus inesse possit, quorum intimae partes facile dissociantur, & inaequali vi adhaerescunt. Alia praeterea non desunt, quae ad laterum graciliorum usum me morentur, ac trahant. Cementi lateribus interiecti humorem ipsi maxime absorbent. Bibuli enim lateres sunt, & utpote succi insiti expertes, succum contiguum maxime trahunt, & vi in se convertunt. Quo vero maior laterum crassities est, eo maior humoris ardor, ac sitis exaestuat. Ecquis vero nescit, caementum vices quodammodo glutinis agere, cuius ope lateres invicem applicati arctissime connectuntur? glutinis vero vires non modo a materia, verum etiam praesertim a liquore eidem perfuso, & intermixto esse penitus repetendas? Neque enim calx, neque arena, neque utraque invicem composita caementum praestant, nisi humor intersit, qui utriusque naturam copulet, & coniungat. Quod si humorem integrum lateres ipsi quodammodo exhauriant, & suum faciant, intercidet sane ipsa caementi natura, & iterum in calcem, atque puram putam arenam abibit. Id animadverterat Vitruvius, qui proinde monet, ut *structurarum genus, seu reticulatum, seu incertum, ex minutissimis instituatur, uti materia ex calce, & arena crebiter parietes satiati, diutius contineantur. Molli, & rara potestate quum sint, exsiccant sugendo e materia succum: quum autem su-*

pera-

perarit, & abundarit copia calcis, & arenae, paries plus habens humoris, non cito fiet evanidus, sed ab his continebitur.


V. Verum non modo singulorum laterum nexus, decrescente crassitie, corroborantur; sed etiam nexuum numerus, & copia augetur, unde nova firmitatis incrementa ducuntur. Quo enim graciliores lateres sunt, eo plures ad molem perficiendam desiderantur. Nequit vero laterum numerus augeri, quin etiam nexus increbrescant. Quod quantum ad molem firmandam fulciendamque conducat, non ille recte intelligit, qui aedificiorum casus, & interitus vel levissime expendit. Quum enim caussa, unde substructiones collabi incipiunt, a resoluto partium nexu plerumque ducenda sit, eo difficilius ruina continget, quo plures nexus intererunt resolvendi. Neque vero unice numerus nexuum crescit; verum etiam singulorum magnitudo, quod, ut interpreter, altius repetenda res est. Ex Geometria constat, magis decrescere corporum solidorum magnitudines, quam eorum ambitus, superficiesque decrescant. Puta cubi latus constare pollicibus decem: erit eius ambitus 100. cubus vero ipse 1000. decrescat vero eius latus, & 9. evadat; evadet ambitus 81. cubus vero 729. Cuborum proinde magnitudines sese habent 1000. 729. ambitus vero ut 100. 81. Verum in maiore ratione sunt, 1000. 729. quam 100. 81. proinde minus cuborum ambitus, quam ipsi cubi decrescunt. Idcirco ea de caussa contingere arbitror, ut textura corporum eo densior, & solidior evadat, quo eorum elementa minora sunt, ac tenuia. Singulorum enim perimeter prae ipsorum volumine minus decrescit, ac

propterea magis crescit punctorum numerus, prae elementis circumstantibus vel nectuntur, vel applicantur. Cur tantopere exiguam laterum crassitiem laudem, hactenus intellexisti. Cur idem in marmoribus improbem, brevissime subiiciam.

V. Lapis, ac marmor praesertim uniformi, ac perpetuo sibi constanti textu a natura conficitur. Quare eius partes intimae aeque atque extimae densae sunt. Praeterea marmor specie, quam lateres, gravius est ac solidius, & suo ipso pondere nexum quodammodo perstat. Demum ita sectile est, & planum arte evadit, ut alterum alteri applicatum, atque compositum validissime adhaerescat, licet nec calx, nec caementum oppositis frontibus intercedat. Quo vero moles marmoris maior est, eo magis superiecti lapides subiectis incumbunt, & compagem firmiorem efficiunt. Lapides invicem sine calce, intrito, & caemento componere in magnis molium substructionibus in usu apud Romanos fuit. Idem factitatum aliquando a Graecis, quod Thucydides in Pyraeo portu describendo, & alii Scriptores luculentissime memorant. Verum de his satis. Tu interim rem gratissimam praestabis, si quid in hac Epistola peccatum a me sit, amice monueris.

Parmae, postridie Idus April. Anno MDCCXLIX.

IA-



IACOBI BELGRADI
SOC. IESV PRESB.
AD EVNDEM
ANT. FRANCISCVM GORIVM
EPISTOLA ALTERA
Qua Basis Ariminensis Inscriptio militaris recens inventa illustratur .



Cribis ad me, V. C. ut ego quoque Symbolam meam conferam, & eruditissimum Opus tuum meis quoque pagellis ornem. Nae tu male consulis eius immortalitati, qui praestantissimis monumentis levia, & inepta miscere velis, cuiusmodi ea sunt, quae tibi a me afferentur. Vtut se res habeat, votis libentissime adnuam tuis, & veterem Inscriptionem recens Arimini erutam, brevissima interpretatione comprehensam, ad te mittam, in qua si quid vel a veritate alienum, vel minus apte scriptum invenies, caussae me tuae prorsus subiicio: *dirue, & aedifica: muta quadrata rotundis*. Rem enim gratissimam facies, & amicitia tua dignam. Satius enim est, ab amico amice reprehendi, quam a toto Literatorum coetu coram exsibilari.

INSCRIPTIO MILITARIS

insculpta in fronte Basis marmoreae (a) *Arimini inventae mense Ian.*

An. CIƆIƆCCXLIX.

Quum novi Collegii Societatis IESV, vetere fatiscente, fundamenta ducerentur.

C. NONIO

C. F. AN. (b) CAEPIAN

EQVO. (c) PVBL. EX QVN (d)

DECVRIS. IVDICV

PRAEF. COH. III. BRITT. (e)

NVM. VETERANOR

EQVITATAE. (f) TRIB. LEG. I. AD (g)

TRICIS. PIAE. FIDELIS. PRA

ALAE. I. ASTVRVM. (h) PRAEPOS

(i) NVMERI. EQVITVM. ELECTOR

EX ILLYRICO

C. VALERIVS. SATVRNNVS. I. (k)

ALAE. I. ASTVRVM. PRAEF. OPT

L D D D (l)

IN-

INTERPRETATIO

ADIECTIS ANIMADVERSIONIBVS.

Caio Nonio
Cai Filio. Anienſi. Caepiano
Equo publico ex quinque
Decuriis Iudicum.
Praefecto Cohortis tertiae Brittonum
Veteranorum Equitatae. Tribuno
Legionis primae. adiutricis. piae. fidelis.
Praefecto alae primae Aſturum. Praepoſito
Numeri Equitum Electorum ex Illyrico.
Caius Valerius Saturninus Decurio
Alae primae Aſturum. Praefecto optimo
Locus Decreto Decurionum Datus

(*a*) Baſis e marmore graeco conſtat, palmos Romanos circiter novem alta, baſi & coronide ornata. Latera quattuor ferme rectangula praefert, quorum tria artifex opere architectonico ornavit: quartum averſum rude, & inconditum reliquit. In fronte antica ſatis nitida Inſcriptio exſtat ferme integra, niſi quod extremas literas, quae dextro legentium margini occurrunt, & reliquum ornatum, vel antiquitas, vel alius caſus delevit, ac perdidit. Non procul ab hoc alii lapides ſatis magni nullo ferme opere, ſed unice materia (*giallo antico*) inſignes inventi. Puto, reliquias haſce ad publicum aedificium pertinuiſſe, in quo publica monumenta titulis inſcripta poni mos erat. Id coniicio tum ex poſtica Baſis parte rudi, & ſcabra, tum ex aliis lapidibus minime ſectis, atque arte elaboratis. Puto enim averſum Baſis latus ex circumſtantibus lapidibus te-

tectum, ac ſeptum ferme latuiſſe, ac proinde nihil illud ornari intererat. Ornantur enim unice membra; quae oculis patent.

(*b*) Hoc eſt *ex Tribu Anienſi*. Mos erat inter gentis nomen, atque cognomen, Tribum, ad quam pertinerent, inſerere, veluti nobilitatis argumentum, ac teſſeram. Innumera apud veteres Auctores monumenta exſtant, quae certam rem efficiunt. *C. Verres Romilia* (Cic. 3. in Ver.) *Ser. Sulpicius Q. F. Lemonia* (Cic. 9. Phil.)

L. AELIANO L. F. AN. PROVINCIALI.

(Grut. 347. n. 6.)

T. AVFIDIO. T. F. AN. BALBO.

(Grut. 525. n. 2.)

Aliquando duabus, aliquando pluribus literis *Tribus* nomen expreſſum legitur. Exſtant duae Inſcriptiones Ariminenſes apud Gruterum, & Garuſſium C. Faeſellio C. F. An. Rufioni, & C. Gallerio C. F. An. Iuliano ex eadem tribu Anienſi, & equo publico honoratis, ex Grutero pag. 1094. n. 2. & 1095. n. 2. & Garuſſio in Theſauro Graevii Tom. VII.

(*c*) *Equo publico*, ſubaudi *honorato*, aut *exornato*, aut *donato*. *Equo publico honorari dicebatur miles* (Sponii Miſcell. Erud. Antiq.) *cui equus impenſis publicis alebatur*, & *ubi equo publico legitur*, *ſubaudiendum honorato*, *vel donato*: quod confirmat Inſcriptio Reinſ. Cl. VIII. 33.

M. METTIO.
M. F. PAL. PIO EQVO. PVBLICO.
PRAEF. COHORT. V. THRACVM.

Plu-

Plures Inſcriptiones exſtant, in quibus vox *honoratus*, vel *exornatus* modo exprimitur, modo reticetur.

(*d*) Caius Nonius Quinque Decuriis Iudicum adſcriptus erat. Ex quo deducere licet, Inſcriptionem hanc non ante Caligulae imperium poſitam: puto autem, ut infra oſtendam, longe ſerius. Nam Suetonio teſte, Caligula, ut *labor levior iudicantibus foret, ad quattuor priores quinctam Decuriam addidit.*

Frequentius in priſcis Inſcriptionibus legitur *ex quinta Decuria*, vel *quinctae Decuriae*. Ita apud Reineſium:

EQVO. PVBLICO. EX. QVINCTA. DECVRIA.

Decuris pro Decuriis apud veteres uſitatum. Ita Lavini pro Lavinii, nugatori pro nugatorii, Pontis pro Pontiis, & alia ſimilia occurrunt.

(*e*) *Brittonum*. Aliae inſcriptiones exſtant, in quibus milites Brittones memorantur.

(*f*) *Equitatae*. Paucae Inſcriptiones occurrunt, in quibus vox *Equitatae* integra ſcripta legitur. Duas unice apud Gruterum invenio p. DL. 4.

P. LICINIO. P. F.
GAL. LICINIANO.
PRAEFECTO. COH. VII.
PREF. RVM. Al. PRAEELECTORVM
EQVITATE. &c.

L. FLAVIO. T. F. Ibidem p. MCVIII. 5.
QVIR. SECVLARI.
PRAEF. COH. PRIMAE
EQVITATAE. &c.

Co-

Cohortes Equitatae memorantur ab Hygino, ac Vagetio. Fortasse vox *Equitatae* usitatior erat in castris, quam in urbibus, & elegantes auctores malunt uti vocabulo *Cohortes Equestres*, quam *Equitatae*. Hermanus Schelius (in notis in Hyginum) conqueritur, ante se neminem, quid *Cohortes equitatae* sibi vellent, vel leviter docuisse. *Ipsae partim ex pedite, partim ex equite constabant. Erant Cohortes peditum, quae habebant proprios, & insitos, ut cum Vegetio loquar, equites suos. Aliae erant miliariae, aliae quingenariae.* In hisce Cohortibus ratio equitum ad pedites erat, ut 1. ad 3.

(*g*) Adiunctum *Adiutricis, piae, fidelis*, satis vulgare
TRIB. MIL. LEG. II.
ADIVTRICIS. PIAE. FIDELIS
(Grut. 556. n. 1. & 387. n. 8.)

Legio 1. Adiutrix a Galba, Tacito & Dione auctoribus, instituta. Romae pro Othone contra Vitellium stetit: Othone victo a Vitellio in Hispaniam missa: inde bello Germanico contra Batavos in Germaniam Domitiano, & Muciano accita. Onuphr. Panu.

Romae apud Gentilem Delphinum in fragmento legitur.

TRIB. LEG. I. ADIVTR. P. F.

Alibi: V. F. Scilicet, *Victricis*, *Fidelis*. Puto eius insigne fuisse *Capricornum*, ut constat ex numo Gallieni apud Mediobarbum.

(*h*) *Asturum*. Apud Gruterum (1028. n. 6.)

LEG. X. PRAEF. ALAE. I. ASTVRVM

Ali-

Aliquando legitur ASTYRVM. Conversio Y in V patrium frequens apud Romanos (Epist. 1. Pontaderae de veteri scrib. rat.) *lacruma*, *inclutus*, & alia &c.

(*i*) *Numeri*. Exercitus, & Cohortes vocari coeptae *Numeri* seris Romani Imperii seculis. Ex quo coniicio, inscriptionem hanc declinante Romano Imperio, impressam. (Sozomen.) *Exercitum*, *non unam Cohortem*, *neque alam dicimus*, *sed Numeros multos militum*

PRAEF. NVMEROR.
TENDENTIVM. IN. PONTO.
(Grut. 1046. n. 6.)

Numeri (Du Fresne Gloss.) *Cohortes*. *Vox Vlpiano*, *Vopisco*, *Ammiano*, *&* *aliis nota*. (Optatus lib. 3.) *Reversi sunt vexati milites ad Numeros suos*. *Numeri militares apud alios*.

(*k*) P. Ita ambigue scriptum, ut reipsa posset aliquis ambigere, legendum ne sit D, vel P. Vero simillimum tamen puto, legendum Decurio, Eruditorum enim consensus, ratio ipsa, & Inscriptionum stilus id quodammodo exigunt.


(*l*) Sigla usitatissima, cuius interpretatio Oedipo non indiget coniectore.

Si quae vel Arimini, vel alibi in apricum aetas, vel casus proferet, ad te scribam. Interim pagellas hasce excipe, & rem literariam *strenuus urge*.

Parmae postrid. Kal. April. MDCCXLIX.

Ne

Ne pagella haec vacet, perlubet adiicere vetusti Cippuli fragmentum, quod hoc ipso anno MDCCIL. inventum Tibure propter viam Flaminiam, mecum perhumaniter communicavit idem V. C. Iacobus BELGRADIVS S. I. P. missis ad me litteris Prid. Non. Aprilis eiusdem anni.



Respicit titulus iste communem sepulturam, quam CETERI obtinuere, exstructam a Rabulpio Q. Liberto CELE*re* (CELE...) forte legendum CELER, & a LVCANA; sed incertum est, num a familia LVCANIA adpellationem obtinuerit, vel sit cognomen. LVCANIA familia ex Gruteriano Thesauro Antiquariis iam nota est.

AD.

AD CLARISSIMVM PATREM

ROMVALDVM ROTAM

SOCIETATIS IESV

ARIMINENSIS COLLEGII RECTOREM

DE

C. NONII CAEPIANI INSCRIPTIONE

ARIMINI NVPER REPERTA

FRANCISCI ANT. ZACHARIAE

EIVSDEM SOCIETATIS

EPISTOLA

I. POsteaquam ſexto Eidus Februarias, ni fallor, miſi ad te Bononia amicorum ſuaſu, CLARISSIME PATER, egregii Ariminenſis marmoris, te auſpice, in effodiendis Aedium noſtrarum fundamentis feliciter ſane reperti, interpretationem; de edenda in eumdem lapidem Diſſertatione cogitare coepi. Addidit ad id animos Florentiae celeberrimus, mihique amiciſſimus Antonius Franciſcus Gorius, cui Incſcriptionis exemplum oſtendi, meaſque de illo coniecturas aperui. Tum literis tuis a. d. xv. Kal. Martias humaniſſime a me perſcriptis, in hoc conſilio plane ſum confirmatus. At de ſententia ferme diſceſſi, quum in Literariis Ephemeridibus Florentiae excuſis prid. Kal. Mart. Epiſtolam Iohannis Blan-


Blanchi Ariminensis super eadem Inscriptione prodiisse intellexi. Vt illam tamen legi (legi autem Nonis Martii) non inutilem fore sensi Dissertationem hanc meam, quae multa uberius explicaret ab illo vel praetermissa, vel paucis adtacta; nonnulla etiam, ut iis in rebus fit, quae sola coniectura definiri possunt, aliter atque ipsum sensisse video, proponeret. Itaque, ut ad rem ipsam adgrediar, illud primum edocebo, quei legenda sit Inscriptio; deinde aliqua ad eamdem inlustrandam adnotabo; de aetate etiam, qua posita videatur, sententiam meam promam; tandem de loco pauca dicam, in quo lapidem inventum scribis.

II. Inscriptionem igitur legendam etiamnum puto, uti ad te scripseram vi. Eid. Febr. *Caio Nonio Caii Filio Aniensi Caepiano*, *Equo publico*, *ex quinque Decuriis Iudicum*, *Praefecto Cobortis tertiae Brittonum Veteranorum Equitatae*; *Tribuno Legionis primae Adiutricis Piae*, *Fidelis*; *Praefecto Alae primae Asturum*; *Praeposito numeri Equitum Electorum ex Illyrico*; *Caius Valerius Saturninus Decurio Alae primae Asturum*, *Praefecto optimo*. *Locus datus Decreto Decurionum*. Hanc ipsam marmoris nostri explanationem dat, probatque idem Blanchus in memorata epistola, quam misisse dicitur a. d. xv. Kal. Martias ; quo scilicet die de interpretatione mea ad te perscripta, ut nuper indicabam, gratulabaris mihi per literas. Lectu facilis Inscriptio est. Gaudeo tamen, lectioni meae suffragium adcessisse Viri, qui in antiquaria re peritum se cum aliis monumentis comprobavit, tum epistolis illis, quas de Sentinatibus Inscriptionibus nuper emisit in lucem in Florentinis Ephemeridibus.

III.



Palmi
1 2



Basis marmorea Ariminensis



III. At monet idem Blanchus non defuisse, qui notas illas EX. QVN. DECVRIS. IVDICV. sic legerent: *ex Quinquennalis Decuris Iudicum Decreto*. Aiebant nempe hi, C. Nonium equo publico donatum fuisse *ex Decreto Quinquennalis Decuris*, seu *Decurionis*. Enimvero *Quinquennalis Decurionis* mentio in celeberrimo illo apud Gruterum lapide *pag*. XCVI. 5. SEMONI. SANCO. *Decures* autem olim *Decuriones* dictos, auctor est Festus. Neque porro mirandum, heic obsoletum *Decuris* nomen occurrere, quum & illud, quod plane videtur insolens, EQVITATAE adhibeatur. Haec illi, a quibus tamen eruditus Blanchus dissentit, & porro Antiquariorum natio dissentiet universa. Quorsum enim antiquatam illam *Decuris* vocem huc transferamus? quum multo planior sit interpretatio nostra, atque ab aliis, quas infra recitabimus, Inscriptionibus suffragium habeat? Neque *Equitatae* nomen, quod illi in suam caussam trahunt, fucum tibi faciat: nam nihil vocabulo illo frequentius in Inscriptionibus post Augusti aevum; quod mox evincam. Addit Blanchus ad explicationem nostram confirmandam: *tanto più, che nel margine destro di questa lapida non manca mai più che una lettera o due; dove se quel* QVN *avesse voluto dire* Quinquennalis, *ce ne sarebbero almeno mancate quattro*. At haec viri docti ratiocinatio, ut vides, sumit, quod falsum est, *Quinquennales* nomen debuisse hoc vel simili modo scribi QVINQVENN. Atque in multis quidem lapidibus ita illud invenias descriptum. Exemplum habes in Inscriptione, quam reddunt Eruditi illi, qui Florentiae Diarium Literatorum hominum edunt in lucem, *T. III. Part. IV. pag.* 257. Saepe tamen illud reperio hoc literarum compendio in-

ſculptum QVINQ. ut in Gruteriana Inſcriptione 6, *pag.* 417. in Piſaurenſi XXXI. & XXXV. inque alia ſane inluſtri, quam ineditam primus vulgavit generis, doctrinaeque praeſtantia clariſſimus Hannibal de Abbatibus Oliverius in egregiis ſuis ad Marmora Piſaurenſia Notis *pag.* 96. Fac igitur, & in noſtro lapide *Quinquennalis* nomen ea ſigla QVINQ. adſcriptum fuiſſe; neque enim video, cur aliter fieri debuiſſe ſtatuamus: tum una tantum in marmore deſiderabitur litera Q.

IV. Aliud ipſe argumentum contra Interpretes illos, quos ſuppreſſo nomine refellit Blanchus, duco ex iis, quae de *Equo publico* explorata habemus. Putant nempe illi, ut vidimus, Nonium noſtrum *Equo publico* ornatum fuiſſe ex Decreto Quinquennalis Decurionis. At id quam abſurdum eſt! quam ab antiquis moribus alienum! *Quid ſit Equus publicus*, (ait Graevius *in Praef. Tom.* I. *Theſ. ant. Rom.*) *iam ſatis notum eſt: nimirum qui dabatur a Cenſore ei, qui erat equeſtri loco natus, quique haberet equeſtrem cenſum, ſi Cenſoribus placeret, ut mereret in Turmis legionariis Roman. Equitum, cuique ad alendum illum equum erat adſignatum ſtipendium.* Quae vere a Graevio ſcripta eſſe docent veteres, quos etiamnum habemus, Hiſtorici. Vnum tamen addi debuit, quod miror a Cl. Viro praetermiſſum, ab Imperatore quoque datum fuiſſe equum publicum. Hinc in antiquo lapide apud Pitiſcum V. *Equus publicus: Iudici decuriae quintae, equo publico per Traianum*, & apud Gruterum *p.* 404. 5. *Equo publico donatus ab Imperat. pag.* vero 415. 3. & 1101. 5. *equo publico exornatus ab Imp.* Quo iſta ſpectent, intelligis, opinor. Oſtendunt ſcilicet equum pu-

publicum donari Nonio non potuisse ex *Quinquennalis Decurionis Decreto*, quum Censoris tantum, aut Imperatoris esset, illo Equites exornare. Atque haec sufficiant de interpretatione illa satis exotica, quam post Blanchum impugnandam subsceperam. Age iam, singula iam Inscriptionis verba expendamus.

C. NONIO

C. F. AN. CAEPIANO

V. De Inlustribus Noniis Dissertationem ne heic exspectes: eam aliquando Gorius fortasse conscribet. Non illa certe huius loci est, ne (quod tamen a multis antiquariae eruditionis aut prodigis, aut ostentatoribus fieri adsolet) in una Inscriptione explicanda, videar thesauros Romanae Antiquitatis universos effundere velle. Adi intereasis, Pitisci Lexicon Antiquitatum Romanarum. Invenies ibi, Noniam Gentem fuisse plebeiam: *ex ea enim ortus est Nonius Balbus Tribunus Plebis, qui edicto, quod Sosius in Antonii gratiam contra C. Caesarem fecerat, intercessit. Reperitur* (quod ibidem Pitiscus monet) *in denariis Sex. Nonius Suffenas, qui Praetor ludos votivos fecerit. Exstat & aereus nummus, in quo Sex. Nonius Quinctilianus notatus est, qui fuit Consul.* A. 760. *cum M. Furio Camillo*. At Nonios longe plurimos dabunt maiores illi Inscriptionm Conlectores Gruterus, Reinesius, Fabrettus, ac Muratorius, apud quos tamen nullus (quod meminerim) occurrit *Caepiani* cognomine. In his memoratu dignissimus L. Nonius Verus *Patronus Mutinensium, Aquilegiensium, Brixianorum, & universarum Vrbium Apuliae, Calabriaeque*, de quo Gruteri Inscriptio

MXCVIII. I. Nonius item ille, qui, ut Blanchus acute notavit, paullo ante Nonium Ariminenſem caput extulit ex Herculani, (ſi fas eſt credere in tanta Antiquariorum diſſenſione) redivivi ruderibus, atque a Cl. Gorio *Symbol. Liter. Vol. I.* inluſtratur.

VI. Quae porro ante Nonii noſtri cognomen adſcribitur Tribus ſigla AN. *Anienſis* dubio procul eſt, quam cum Terentina ruſtica additam fuiſſe XXXI. Tribubus A. V. C. CCCCLIV. docet Livius lib. IX. c. XX. Ariminenſes tunc primo certae Tribui adſcriptos fuiſſe, quum lege Iulia A. IↃCLXIII. Italis omnibus Civitas cum iure ſuffragii data eſt, certum videtur. At cuinam? Si lapidibus fides apud Oliverium *in Notis ad Marmora Piſaur.* in Anienſi Tribu cenſi fuere Ariminenſes, in Palatina quoque, & Lemonia. Hinc quaeri illud poteſt, quaenam ex his prima fuerit, & quibus de cauſſis in alias mutata? Sed quaeſtio iſthaec perobſcura certe eſt, atque explicatu difficilis. Nam quum Ariminenſes lapides Auguſti aetatem non ſuperent, qui Ariminum Coloniam poſtremus deduxit, eo perfugio nobis uti non licet, quod Fontanino, aliiſque ante ipſum feliciter ceſſit, a novis Coloniarum deductionibus Tribuum mutationem repetentibus. Multa de Piſaurenſibus diſputat hanc in rem *a pag.* 100. citatus Oliverius. Ea fortaſſe Ariminenſibus aptari commode poſſint. Quamquam duo mihi praeſertim in ea re diligenter conſideranda viderentur, quae quod minime animadverſa fuerint, vereor, ne eadem urbs pluribus Tribubus perperam adſcripta fuerit a Viris eruditione praeſtantibus. Primum illud, ne peregrina marmora ſint, & in ur-

urbem aliquam retroactis temporibus aliunde translata: alterum ne alieni hominis sint, qui ad eam Civitatem adcesserit, inque illa commoratus fuerit, patriae suae Tribu retenta: cuiusmodi inter marmora Pisaurensia Fatius ille Haruspex Fulguriator Etruscus homo, atque adeo Cortonensis, qui a Pisaurensibus, ut Haruspicis Fulguriatoris munere apud ipsos fungeretur, advocatus, a Stellatina Tribu, ad quam patria eius Cortona spectabat, ad Camiliam minime transiit, in qua censi fuerant Pisaurenses. Vt ut se res habet, Aniensem Tribum Ariminensibus plerique lapides vindicant, quibus hic noster adcedet.

EQVO. PVBLICO

VII. Quae ad equum publicum spectant, *numero tertio* occupavimus. Si plura cupis, consule praeter Pitisci, & Caroli de Aquino Lexica, Oliverium *pag.* 104. *not. in Marm. Pisaur.* atque Italicam, quae a Taurinensium Marmorum Inlustratoribus prodiit paucis ab hinc annis, *de veteri urbe Industria* Dissertationem.

EX. QVIN. DECVRIS. IVDICV

VIII. C. *Vibius Iudex de quinque Decuriis* occurrit in Gruteriano Thesauro *pag.* 487. 2. Quinctam Decuriam *adiecit Caius Princeps* (Caligula), inquit Plinius *lib.* XXXII. *cap.* I. Idem narrat Svetonius *in eius Imp. vita*. At cur DECVRIS scriptum heic? non DECVRIS; quo ferme pacto geminam literam I insculpere consueverunt Romani. Fateor, id satis apud illos usitatum fuisse. Plane adfine illud, quod in Grutero legimus CCCV. 4.

EX. QVATVOR. DECVRIS.

At inſcriptiones quoque non deſunt, in quibus Ī ſine ullo a literis ceteris diſcrimine pro duplici I exhibeatur. Eiuſmodi (ut aliquas indicem) eſt Gruteriana XXXII. 10. & XXXIX. MVNICIPI pro *Municipii* habet inſcriptio : *in marm. Piſaur.* XXX. V. vero & LXX. *in iiſdem Marmoribus* L. RVTILI. Ne plura de hac apud Romanos I pingendi ratione, quam in praeclariſſima *de Romanorum Nominibus* Diſſertatione iam pridem inluſtravit ſplendidiſſimum Italiae decus Marchio Maffeius.

PRAEF. COH. III BRITTO
NVM. VETERANORVM
EQVITATAE

IX. Praefectum Cohortis dictum, qui Cohorti legionariae praeerat, ſcripſit Panvinius *Imp. Rom. cap.* XVI. Qua in re erraſſe virum ſummum docuit *Graevius in Praef. T. I. Theſ. Ant. Rom.*, ubi pluribus oſtendit, nullos in Legione Praefectos, ſed tantum Cohortium ſocialium, & auxiliarium fuiſſe. Hinc monet Oliverius *p.* 113. Cohortes illas *Civum Romanorum quatuor in Hiſpania*, quarum *Praefectus* in Piſaurenſi Inſcriptione XXXV. dicitur P. Cornelius Cicatricula, non legionarias fuiſſe, ſed ex illis, quae ab Inpp. inſtitutae, variis in locis conlocatae in praeſidiis erant. Haec profecto tertia Brittonum Cohors inter auxiliares fuit. Mentionem eius habeamus in Gruteriano lapide XXIV. 7. quem lubet heic adſcribere.

IVNO.

IVNO. R. ET. MINER. SAC.
GENIO. COH. III. BRIT. ARAM
T. FL. FELIX. PRAEF. EX
VOTO POSVIT. L. M.
DEDICAVIT. KAL. DEC.
GENTIANO. ET
BASSO COS

Spectat lapis, ut ex notato *Gentiani*, & *Bassi* Consulatu vides, ad annum Chr. ccxi. Celebres item in lapidibus, quos quidem ego descriptos viderim, Brittonum Cohortes *prima*, *secunda*, *&* *sexta*, Primam commemorat Muratoriana Inscriptio *p.* 870. 5. & *p.* 1114. 5. in qua etiam *Flavia* dicitur. Id tamen nominis paullo post abiecit, *Aeliae* cognomine adsumpto. Testificatur id Gruterianus lapis *p.* 359. 3.

T. APPAEO. T. F. VEL
ALFINIO. SECVNDO
PROC. AVGVST. XX. HERED
PROC. ALP. ATRECTIANAR
PRAEF. VEHICVL. SVB. PRAEF
CLASS. PRAET. RAVENN. PR
ALAE. I. AVG. THRAC. TRIB. COH
I. AELIAE. BRITTON. PRAEF
COH. IIII. GALLOR. PATRON
COLON. FLAMINI. DIVOR
OMNIVM. AVGVRI
II. VIR. QVINQ. BIS
OB. MERITA. EIVS
D. D.

Se-

Secundam quoque, cuius mentio fit apud Muratorium *p.* 778. 2, *Flaviae* nomine insignitam fuisse docet vetustum Marmor a Reinesio descriptum Cl. VI. *n.* 128. *p.* 462. Sextam denique indicat Inscriptio, quam reddit Gruterus *p.* 1161. 3. Notitia Dignitatum Imperii *Tribunum Cohortis* III. *Brittorum Abusinae* conlocat: ibi autem pro *Brittorum* legendum *Brittonum* scite monuit Doctiss. Pancirolus *cap.* 84. Cluverius porro, quem sequutus est Cellarius, Abusinam, seu Abusenam docet in Vindelicia fuisse, eamque hodie vocari *Abensperg*.

X. At qui Brittones hi? Caute Pancirolus citato nuper loco fuisse ait *Populos Galliae*, aut *Insulae Brittanniae*, seu *Angliae*. At Blanchus Britannos fuisse, Anglos nempe, nihil dubitans adfirmat. Atque ille quidem magnum suae sententiae patronum habet Cellarium, cuius haec verba *lib.* II. *c.* 4. *pag.* 322. ubi de Britannis Britanniam insulam incolentibus: *Est & alia forma nominis Brito, vel potius Britto, quo posteriores frequenter usi sunt. Auson. Epigr.* CX.

Silvius hic bonus est. Quis Silvius? iste Britannus.
Aut Britto hic non est Silvius, aut malus est.

At sunt qui propter eam aliquid discriminis inter Brittonem, & Britannum quaerunt; in qua opinione etiam Christophorus Broverus ad Fortunati lib. III. *Carm.* 6. *pag.* 69. *quod verius Elias Vinetus negat ad dictum locum Ausonii, & illos confutat, qui Britones non in Insula, sed in Armorica Galliae regione ponunt; nam Iuvenalis aetate nulli Britanni in Gallia: nihilominus ille Satyr* XV. *vers.* 124. *dixit.*
Qua nec terribiles Cimbri, nec Brittones unquam.

Sci-

Scilicet, rabie saeviunt, geminato Tau non tantam metri caussa, sed etiam alibi hac forma scribitur. Haec Cellarius. A qua quidem viri summi sententia abhorrebam maxime, quod noverim, sequiore praesertim aevo, Britanniae Aremoricae, seu minoris incolas in Galliis *Brittones* adpellatos fuisse; de quo auctor sum, ut adeas Hoffmannum *in Lexico*, & Hadrianum Valesium *in Notitia Galliarum*. At vel invitum me in eamdem sententiam pertrahit Tacitus, a quo *Britannorum Cohortes* saepissime nominantur, nusquam *Brittonum*, iisque in locis, ac verbis illis nominantur, quae nonnisi de Britanniae Magnae populis intelligi possint. Sed, quod rem plane conficit, *Flaviae*, & *Aeliae* nomen est, quo Brittonum Cohortes antea vidisti praenotatas. Perdomita Britannia est ab Iulio Agricola sub Flavio Domitiano, quod fuse persequitur idem Tacitus *in vita Agricolae*. Deinde T. Aelio Hadriano imperante, quum *deficientibus nationibus, quas Traianus subegerat, Mauri lacesserent, Sarmatae bellum inferrent, Britanni teneri sub Romana ditione non possent*, ut *in Hadriani vita* scribit Spartianus, expeditio in Britanniam suscepta est, quam etiam Inscriptio Reinesii antea indicata commemorat:

M. MAENIO C. F. COR. AGRIP
PAE ET VSIDIO CAMPESTRI
HOSPITI DIVI HADRIANI
PATRIS SENATORIS PRAEF. COH
II. FL. BRITTON. EQVITAT.
ELECTO A DIVO HADRIANO
ET MISSO IN EXPEDITIONEM BRIT
TANNICAM &c.

Tum

Tum Imperator, Spartiano eodem teſte, *Britanniam petiit, in quà multa correxit, murumque per octoginta millia paſſuum primus duxit, qui Barbaros Romanoſque divideret.* Vides, unde *Flaviae*, unde *Aeliae* nomina Cohortibus Brittonum? A Flàvio Domitiano, a quo domità Britànnià maior, *Flaviae* dictae: tum *Aeliae* a T. Aelio Hadriano, qui compreſſis Britannorum motibus, muroque ibi ducto, Romanam rem in eà inſula plane reſtituit. Quam belle omnia! Fac, *Brittones* intelligas Britanniae Aremoricae populos; fruſtra quidquam ſatis veroſimile excogitabis, quo illorum Cohortibus *Flaviae*, atque *Aeliae* nomina vindices.

XI. Cohors III Brittonum *Veteranorum* dicitur in Ariminenſi tuo lapide, vel ex hoc, mea quidem ſententia, magni faciendo. Nam in univerſis Gruteri, Reineſii, Donii, ac Muratorii collectionibus nulla exſtat Cohors Veteranorum. In Indice quidem Muratorii legitur *Cohors II. Veteranorum*; ſed minus apte. Vide Inſcriptionem ipſam, quae ibi notatur *p.* 760. I.

P. VIRGILIO. P. F. P. N. POL.
LAVREAE AED. II. VIR. I. D. PRAEF. FABR.
IVDICI. DE. IIII. DECVRIIS. EQVITI
SELECTORVM PVBLICIS PRIVATISQ.
PRAEF. DRVSI. CAESARIS. GERMANI. II. VIR. QVINQ.
P. VIRGILIO P. F. P. N. POL. PAVLINO
EQVO. PVBLICO. IVDICI. DE IIII. DEC.
PRAEF. FABRVM. PRAEF. COHORTIS. II.
VETERANORVM EXERCITVS

Num

Num genuina Inſcriptio iſthaec ſit, non quaero: illud aio, vocem *Veteranorum*, quae a Muratorio Cohorti II. iungitur, ad exercitum potius referendam eſſe. Magna ſane multitudo Veteranorum ſub Tiberio fuit, ut notat Tacitus *Ann.* Lib. IV. *c.* 4. Exercitum vero Veteranorum intelligo *Veteranorum Vexillum*, ut idem Tacitus loquitur Lib III. *c.* 21. Veteranos ſcilicet, qui exauctorati retinebantur ſub vexillo, ceterorum immunes, niſi propulſandi hoſtis. *Decuriam Veteranorum* viſus quoque ſibi eſt videre Reineſius in lapide, quem Cl. VIII. *n.* 27. *pag. p.* 542 exhibet:

M. IVNIO M. L. LANTANVSO
KADREMA PROCVR.
DECVR. VII. DVPLICARIO
M. IVNIVS. M. L. ASTYLVS
OL. DD.

Nam & heic, inquit ille, *notae numerorum in literas reſolvendae ſunt*; ſed quotuſquiſque eſt, qui Reineſii nimiam in vexandis Marmoribus licentiam ignoret, feratque? *Decuriae ſeptimae* ibi lego; nec ullam cauſſam ſubeſſe video, cur numeros in literas convertamus. Fuere enimvero Cohortes aliquae Veteranorum, ſed numero paucae, eaeque, ut equidem credo, auxiliares. Nam Veterani milites, qui nempe vicena ſtipendia meruerant, florente Republica, militia ſolvebantur; ſed ſub Principibus aliter factum. Tiberius enim, Suetonio teſte *in vita cap.* 48. *miſſiones Veteranorum rariſſimas fecit, ex ſenio mortem, ex morte compendium captans*. Hinc vero in ſeditione

ne illa Pannonicarum legionum ſub eodem Tiberio, quam *Annal. lib.* I. deſcribit Tacitus, Percennius quidam *promptis iam & aliis ſeditionis miniſtris, velut concionabundus interrogabat, cur paucis Centurionibus, paucioribus Tribunis, in modum ſervorum obedirent? quando auſuros expoſcere remedia, niſi novum, & nutantem adhuc Principem precibus vel armis adirent? ſatis per tot annos ignavia peccatum, quod tricena, aut quadragena ſtipendia ſenes, & plerique truncato ex vulneribus corpore tollerent?* At qui honeſte non dimittebantur, exauctorabantur, ac retinebantur ſub aliquo vexillo, donec illis praemia ſolverentur, & agri immunes a labore, & munere omni caſtrenſi, pugna in hoſtem excepta. Itaque vix apud Romanos Veteranorum Cohortes eſſe potuere. Singulare tamen quodpiam *Legionis* VIII. *Veteranorum* exemplum obiicies in *Inſcript.* CLXXXVIII. *Oliverii p.* 73.

. . . .

POL. MILES. LEG.

VIII. V E T E R A N

O R I V N D V S. T V D E R

H I C. S I T V S. E S T.

Fortaſſe tamen intelligi poſſet Miles Legionis VIII. Veteranus. Hinc Oliverius ipſe in *Indice* §. III. Inſcriptionem hanc tum ad Legionem VIII. Veteran. tum ad Veteranum militem refert. Quis etiam omnia norit, quae militari diſciplina apud Romanos conlapſa inrepſerunt? Porro in auxiliaribus Cohortibus non eadem omnia, quae a Romanis, inſtituta ſervabantur, ut facilius, etſi non admo-

dum

dum frequenter Veteranas Cohortes in ſociis populis, quam in Romano exercitu, invenias. Certe Batavorum Cohortes, quae ſub Veſpaſiano a Romanis defecerant, *Veteranas* adpellat idem Tacitus *Hiſt. Lib. quincto Cap* XVII. *&* XXVII.

XII. Quid autem monſtri eſt vox illa *Equitatae*? Inſolens fateor eſſe hocce nomen, ſed magno ſe auctore tuetur, Hygino, ut Fabricius ſapienter notavit, Traiani Auguſti Liberto, alio ſane ab illo, quem ſub Octaviano Auguſto floruiſſe Suetonius narrat. Lapides quoque plurimi illud confirmant. Recole Reineſianae Inſcriptionis verba nuper deſcripta. Vin? Inſcriptiones alias? Gruterus *p.* 1108. 5. dabit L. Flavium Titi Filium Quirina Secularem

PRAEF. COH. PRIMAE
EQVITATAE
CIV. ROMAN.
IN GERM. INFERIORE

Caium vero Sagurum Priſcum

PRAEF. COH
III LINGON. EQVITA
TAE

invenies in Marmore, quod primus edidit Oliverius meus *in Adnotat. ad Marm. Piſaur. p.* 96. Quid plura? Milites duos exhibet Theſaurus Muratorianus, alterum *Coh.* VIII. *Praetoriae Piae Victricis Equitatae p.* 858. 3. alterum *Coh.* X. *Equitatae*

tatae p. 866. 5. Imo vero quotiens in Inſcriptionibus additur Cohortibus Sig.a EQ. explico *Equitatae*: quum nuſquam reperiam diſerte ſcriptum *Equitum*, *Equitatae* ſemper. Quamobrem haud probare poſſum, quod ad Inſcriptionem a Cl Gorio editam *T. I. Inſcript. Etruriae p.* 337. 6. ubi *Praef. Coh.* V. Eq. *Spanorum* legitur, adnotavit vir ceteroqui magna eruditione Antonius Maria Salvinus, compendio illo EQ *Equites*, Hiſpanos ſcilicet, denotari. At Salvino praeiverat Vrſatus in ſuo *de Notis Romanorum* commentario, quem heic propterea ut in aliis pluribus locis, emendandum intelligis. Neque in lapidibus ſolum vox illa longe uſitatiſſima, *Cohors prima Claudia Equitata Sebaſtopoli*, *Cohors quoque prima Equitata Calamonae* occurrit in Notitia Imperii ab eruditiſſimo Pancirolo inluſtrata, illa quidem ſub titulo *in Ponto*, haec ſub titulo *Palaeſtinae*. *Equeſtres* eiuſmodi Cohortes vocat Plinius, itemque Traianus Imperator (*Lib. Epiſtol. Plinii* X. *ep.* CVII. & CVIII.) niſi potius id ad Criticos referas, qui *Equitatae* nomen aut ignorantes, aut malo conſilio explodentes, ſiglam EQ. in epiſtolis illis *equeſtris* reddiderint. Hygini certe Sub Traiano ſcribentis auctoritas, & mira lapidum conſenſio magno argumento eſſe poteſt, *Equitatae Cohortis* nomen apud milites iam tum obtinuiſſe, ut cur illud defugerint Plinius, ac Traianus, non facile adſequaris.

XIII. Multo difficilius explicatu eſt, quid Cohors Equitata ſignificet. Quum porro apud Hyginum Cohortes equitatas, & peditatas inveniamus, in earum adſignando diſcrimine ſitus eſt labor univerſus. Enimvero putant eruditiſſimi quique inter recentiores militaris antiquae rei Scriptores, Cohor-

Cohortes ex ſolo pedite conſtitiſſe; tum aliquas equite auctas, quibus *equitatarum* nomen additum, *peditatarum* vocabulo ab illis retento, quae ex veteri conſuetudine pedites tantum cenſerent. Addit Schelius, eiuſque exſcriptor Pitiſcus, quas Hyginus *Equitatas* Cohortes adpellat, eas ceteris antiquis auctoribus, Tacito, Suetonio eſſe auxiliares; Cohortes vero ſine ullo additamento ab aliis nominari, quae ab Hygino *Peditatae* nuncupantur.

At aliter hac de re ita eſſe exiſtimaverim. Equitatum Cohortium ante Imperatores nulla mentio. In Cohortibus tamen Equites fuiſſe, contra quam eruditiſſimi quique ſentiant, multa mihi ſuadent. Nam praeter alarios, equites legionarios fuiſſe apud Romanos vel a remotiſſimis Reipublicae temporibus nemo negaverit. Livium adpello *lib.* 35. 5. *Ad perturbandos ordines eorum C. Livium Salinatorem, qui praeerat alariis equitibus* (auxiliaribus ſcilicet) *quam concitatiſſimos equos immittere iubet: legionarios equites in ſubſidiis eſſe*. Hos porro *legionarios* dictos, quod ad legionem omnino ſpectarent, extra controverſiam eſt. Vegetius enim *lib.* II. *cap.* II. *Legionem* adfirmat *propriis Cohortibus plenam ... proprios, & ſibi inſitos Equites legionarios, iiſdem matriculis tenere*. Hinc ſaepe idem Livius ſcriptas legiones dum memorat, in his equites recenſet. Audi illum lib. VIII. *Scribebantur autem quatuor fere legiones, quinis millibus peditum, equitibus in ſingulas legiones trecenis*. Libro autem XLIII. *Finitus ibi quoque in legiones militum numerus, peditum quina millia, treceni, & XXX. equites*. Aio iam, legionum Equites in Cohortibus cenſos fuiſſe. Nam Vegetius, qui *eiuſdem lib.* II. *cap.* IV. adſe-

adſerit, expoſiturum ſe *ordinationem legionis antiquae ſecundum normam militaris iuris* cap. VI. ait: *his decem Cohortibus legio plena fundatur, quae* (aucto ſcilicet in dies legionariorum militum numero, qui nec ſatis conſtans ante Livianis temporibus fuit) *habet pedites ſex millia, equites ſeptingentos viginti ſex*; equites autem iſtos ad ſingulas Cohortes ibidem refert, plures paucioresve pro Cohortium dignitate. Iſidorus quoque dum ſcripſit, *Legionem habere centurias* LX. *manipulos* XXX. *Cohortes* X., non alia de cauſſa legionarios equites videtur praetermiſiſſe, niſi quod in Cohortibus comprehenderentur. At, inquies, axiomatis inſtar eſſe, Turmas equitum, Cohortes peditum fuiſſe. Fateor; ſed axioma hocce ab errore profectum reiicere quid vetat? Quamquam aliquo illud pacto defendi poteſt; nam quum Turmae ſolos equites admitterent; Cohortes vero maxima ex parte peditibus conſtarent, peditum ratio haberi potuit in his potius, quam equitum. Hinc Tacitus *Ann. Lib.* XIII. 35. *Adiectaque ex Germania legio cum equitibus alariis, & peditatu Cohortium*, ſocialium nempe, quae in Marmoribus *Equitatae* ſaepiſſime adpellantur. Non ergo inde equitatarum Cohortium a peditatis diſcrimen petendum, quod equites admitterent equitatae, niſi Cohortes omnes, quae Imperatorum aevum praeceſſere, equitatas fuiſſe dicamus, cuius rei nullum apud veteres veſtigium. Etſi tamen legionarii equites Cohortium pars erant, in acie a peditibus ſeparari potuere: nam & Vegetio auctore, qui equites ad Cohortes refert, conſtructa acie equites ordinabantur.

XVI. Nec minus falſum, quas Hyginus *equitatas*

tatas Cohortes vocat, eas *auxiliares* fuisse. Nam Praetoriam Cohortem quis inter auxiliares recenseat? Atqui illa *Equitata* dicitur in veteri illa Inscriptione, quam ex Muratorio indicabam num. XII. & in lapide apud Gruterum CCCLIV. 3. Sed & Cohortes plurimae *Equitatae* adpellantur in lapidibus, quae quum nullus illis adscribatur peculiaris populus, ad quem pertinuerint, sed tantum numerus, ut in altera Muratorii Inscriptione ibidem citata, Civium Romanorum fuisse videntur, non subsidiorum. Audiamus nunc Hyginum. *Habet itaque Cohors equitata milliaria pedites septingentos sexaginta, centurias decem, equites ducentos quadraginta, turmas decem. Cohors equitata quingenaria* (fortasse *quingentaria*, ut loquitur Vegetius) *habet centurias sex, reliqua pro parte dimidia. Cohors peditata milliaria habet centurias decem &c.* Hoc igitur videtur Hyginus statuere equitatarum, & peditatarum discrimen, quod nullas hae Turmas equitum habuerint, illae habuerint, & eo quidem numero, ut tribus peditibus unus eques adiungeretur, quod a Schelio quoque notatum video. At vel Hygini locus ille, praesertim ubi de peditatis Cohortibus sermo est, ab Amanuensibus male vexatus est: vel Traiani aevo nova isthaec Cohortium ratio originem duxit. Nova, inquam, neque solum quod peditatas heic videamus sine equite Cohortes; sed etiam quod ex his constituta legio Centurias omnino LXIV. comprehenderet, quum tantum LV. Centurias habere Legio consueverit, equitumque Turmae XXIV. equitibus constarent, quae XXXII., aut certe, ut cum Varrone loquar, *terdenos* numerabant. Vtut se res habet, Hyginianas has Cohortes non diu omni ex parte perdurasse existima-

verim. Nullum enim post Hygini aetatem supereſt illarum veſtigium in monumentis, & Vegetius, cui Hyginus ignotus fuit, Cohortium eiuſmodi non meminit, licet, ut antea animadvertebam, *ordinationem Legionis antique* explicandam ſuſceperit. Itaque opinarer, paullo poſt Traianum, cuius aetate ſcripſit Hyginus, ad priſtinam Cohortium formam rediiſſe Romanos, eam ipſam, quam Vegetius deſcribit, numero pro conditione temporum aliquantulum aucto, vel inminuto. Quid ergo Equitatae Cohortes fuerunt poſt Hygini aetatem? Non illae certe, in quibus pedites, Equiteſque militabant: tum enim omnes fuiſſent Equitatae, quum tamen aliae *Cohortes equitatae* dicantur, aliae *Cohortes* ſine ullo additamento, atque adeo una, atque eadem Cohors uno tempore equitata fuerit, non item alio: quod (ne ad aliena exempla evagemur) Cohors III. Brittonum probat, in noſtro Marmore *Equitatae* nomine praenotata, contra quam in alia Inſcriptione, quam retuli *numero* IX. factum reperio. Igitur ſi me audis, peculiari de cauſſa augebantur aliquando Cohortes Equitum numero, & ea quidem lege, ut Turmae Centurias ipſas componerent. Nam in Vegetiana, eaque antiqua Cohorte, praeter Centurias aliquot Turmae Equitum cenſebantur: in Hyginiana vero Equitum Turmae Centuriarum ipſarum pars erant, eaſque explebant. Id ergo ſolum ex Hyginiana Cohorte deinceps ſervatum crediderim aliquando, gravioribus quibuſdam de cauſſis, ut peditum numerus ex Centuriis detraheretur, ac totidem equitum numero ſuppleretur. Expende quaeſo celebrem Taciti locum de Batavorum, & Caninefatium Cohortibus *Hiſtor. lib.* IV. 19. *Pretium itineris, donativum,*

tivum, duplex ſtipendium, augeri Equitum numerum .. poſtulabant? Equites igitur aliquot habebant. At non eo certe numero, quem praeſefert Hyginiana Cohors. Tum enim inſana fuiſſet earum petitio, & contra omnem Romanorum conſuetudinem. Videntur igitur conſtitutae fuiſſe ad Vegetii deſcriptionem; dum porro augeri Equitum numerum poſtulabant, aliam Cohortis formam induere petebant, & equites addi peditibus detractis, inque Centurias ipſas referri. Equidem ſcio, augeri potuiſſe Equitum numerum, quin Centuriis admiſcerentur. Sed, vere ut dicam, quum ab Hygino equitatas Cohortes dictas inveniamus, quae Centurias ex equite, & pedite coactas haberent, ac paullo maior equitum numerus, niſi alia adcedant, equitatis Cohortibus a non equitatis ſecernendis vix videatur ſufficere, id perplaceret. Hinc vides, cur quae Brittonum Cohors adpellatur equitata in Marmore noſtro, equitata non fuerit anno CCXI. quo alia illa Inſcriptio poſita fuit. Nimirum quo tempore illi praefuit Nonius, ad Hyginianam formam conſtituta fuit, duas tantum Turmas praeter Centurias habuit de more, quum a Tito Flavio Felice regeretur; Idem dic de Batavorum Cohortibus, quas *equitatas* aliquando fuiſſe Marmora teſtificantur. At cur Vegetius plane equitatas Cohortes omiſit? Mirandum ſane eius ſilentium, eoque mirandum magis, quod auctor ipſi ferme aequalis, qui notitiam dignitatum Imperii conſcripſit, earum aliquot recenſet. Putarem tamen, eam ob cauſſam de illis Vegetium nihil diſſeruiſſe, quod extraordinariae Cohortes eiuſmodi eſſent, ac praeter *normam* iuris militaris. Hae meae ſunt de Equitata Cohorte coniecturae, quae utinam tibi probentur!

TRIB. LEG. I. ADIV
TRICIS. PIAE. FIDELIS

XIV. De Tribunis legionum passim rei militaris Scriptores, in quibus Lipsius in *lib. de Milit. Rom.* & Stevechius ad *Vegetii lib.* II. *cap.* VII. Tantae dignitatis erant Praefecti equitum, ut Tribunis legionum aliquando praelati sint; sed Claudius id inmutavit; nam *equestres militias ita ordinavit, ut post Cohortem, Alam, post Alam, Tribunatum Legionis daret. Suet. in Claud. cap.* XXV. Id sane fugit Blanchum, qui Praefecturam Alae I. Asturum, de qua mox, praecipuam fuisse ex dignitatibus a Nonio gestis adfirmavit: quo vero fundamento? Reddo Blanchi verba: *Sembra, che questo posto sia la maggior carica, ch' egli abbia sostenuta, venendo questa nell' Inscrizione, come cosa più onorifica, due volte mentovata.* Vbinam quaeso Praefecturae huiusmodi mentio secundo in hac Inscriptione? Sub finem scilicet, ubi legimus: *C. Valerius Saturnius Decurio Alae primae Asturum Praefecto optimo.* At heic certe non ut honoris nota, reperitur Praefecti nomen, sed veluti caussa, cur C. Valerius Saturninus lapidem istum C. Nonio Caepiano posuerit, Decurio nimirum Alae Primae Asturum eiusdem Alae Praefecto optimo. Et plane hospes sit, oportet, in vetustis Inscriptionibus, qui exempla desideret. Vnum tamen habeto ex Marmoribus Pisaurensibus *p.* 26. LIX.

D. M.

D. M.

M. PACCI. M. F. CAM.

VERONA SENECION

MIL. COH. VII. PRAET.

7. MAXIMI. VIX. AN. XXX.

MILITAVIT. AN. XIII.

M. VARIVS OPTATVS

AMICO OPTIMO.

PRAEF. ALAE. I. ASTVRVM

XV. *Astures*, qui & *Astyres*, Hispaniae populi. Vide tamen Cl. Gorium *Inscript. Etrur. Tom* II. *pag.* 21. L. BAEBIVS. L. F. GAL. IVNCINVS. PRAEF. ALAE ASTVRVM. exstat apud Gruterum *p.* 378. 4. *Ala vero prima Asturum* in alio lapide Gruteriano occurrit *p.* 1028. 6. Celebres quoque in lapidibus Cohortes Asturum. Ex his III. ASTVR. EQ. C. R. *Asturianorum* nempe, ut explicat Vrsatus, seu melius ad constantem Inscriptionum usum, *Asturum Equitata Civium Romanorum*. Nempe in Cohortibus socialibus quandoque Cives Romani militabant; tum autem titulus addebatur *Civium Romanorum*, ut notatum invenio ab eruditissimo Oliverio *p.* 113. *suarum in Marm. Pisaur. Notarum*. Equites Alarios a Legionariis Equitibus, quos ad Cohortes spectasse antea dixi, alios fuisse nemo ignorat.

PRAEPOS. NVMERI. EQVITVM. ELECTOR. EX ILLYRICO

XVI.

XVII. *Io non mi fermo ora a considerare altre cose di questa lapida, come è quel titolo di Pia, e di Fedele dato a quella Legione; nè che cosa fosse quel* PRAEPOSITVS NVMERI. EQVITVM ELECTORVM. EX. ILLYRICO; *perciocchè queste cose sono facilissime ad intendersi da ognuno, e nel Grutero, e nel Reinesio, e nel Tesoro del Sig. Muratori si ritrovano* VARII *esempli sopra* CIASCVNA. Haec Blanchus: quae vera quidem sunt, quod ad *Piae*, ac *Fidelis* nomina legioni illi tributa adtinet. Verum in universis illis Gruteri, Reinesii, ac Muratorii conlectionibus ne semel quidem occurrit *Praepositus Numeri Equitum Electorum ex Illyrico*. Habebamus quidem apud Gruterum *p.* MXCVI 6. *Praepositum Numerorum tendentium in Pontum*, & *Praepositum Numeri Syrorum Sagittariorum* apud Murat. MXCIX. 6. At *Praepositus Numeri Equitum Electorum ex Illyrico* nunc primo prodit; neque quid eiusmodi Equites *electi* fuerint, imo quid Numerus facile est explicare. Nam ut a Numeris ordiar, alii Cohortes intelligunt, Legiones alii, alii vexillationes, alii generale quoddam militiae nomen ad agmina, & corpora militum significanda adhibitum. Nec vero dubitandum, aliquando Numerorum nomine Cohortes, Legiones aliquando denotari. *C. Aemilius Severus Centurio Numeri Pannonici* memoratur a Muratoriana Inscriptione *p.* 775. Heic ergo Numerus, aut Cohors fuit, aut certe Legio; nam alterutram indicat Centurionis dignitas. At in nostra Inscriptione, quum de Equitibus sermo sit, neque iis Legionariis, aliud omnino a Legione, & Cohorte significat *Numerus*, corpus nempe Equitum, ac fortasse, quod nos Itali hodie dicimus, *un distaccamento di Cavalleria*. *Numerum equestrem Tertiacorum* dixit

Am-

Ammianus Marcellinus *Lib.* xxv. Saepe igitur Numerus generatim indicat Corpus, *τάγμα*, manum militarem; atque hoc ſenſu a Vegetio ſaepe uſurpatur, ut *Lib.* ii. *Cap.* ii. & *Lib.* iii. *Cap* ix. & xv.

XVIII. Ad Equites electos tranſeo. *Equitem Selectorum publicis privatiſque* habet Muratoriana Inſcriptio *num.* xi. deſcripta. Alii hi Equites ab Electis noſtris, & iidem fortaſſis atque extraordinarii, quos Polybius memorat *Lib.* vi. *C.* xxviii. & Spartianus in *Caracalla. Cohortem primam Iuliam Lectorum valle alba* invenio in Notitia Imperii: item *V Alam praeelectorum ſub Comite Aegyptii.* Subſpicatur autem Pancirolus Cohortem, Alamque hiuſmodi tamquam ceteris praeſtantiorem, *ſelectam* dictam fuiſſe. In hanc ſententiam Tacitus *Hiſt. Lib.* iv. *Cap.* xii. *Erat & domi delectus Eques praecipuo nandi ſtudio, arma, equoſque retinens.* Num hoc ſenſu Equites noſtri *Electi*? Sed fortaſſe haec ſomnia ſunt, neque alia ulla de cauſſa electi dicuntur ex Illyrico, niſi quod lecti in Illyrico fuerint, ſeu Illyrici. Sic apud Ammianum Marcellinum antea citatum *Lib.* xviii. *p.* 8. lego; *duarum turmarum Equites circiter ſeptingentos ad ſubſidium Meſopotamiae recens ex Illyrico miſſos fuiſſe.* Tacitus vero *Hiſt. Lib.* i. 31. *Miſſus & Celſus Marius ad electos Illyrici exercitus: capite* autem 6. dixerat: *multi ad hoc numeri e Germania, ac Britannia, & Illyrico, quos idem Nero* ELECTOS *praemiſſoſque ad clauſtra Caſpiarum . . . revocaverat.* Tum Nonius noſter Praepoſitus fuiſſet Numeri, ſeu Praefectus Alae Equitum Illyricorum. Id mihi homini in antiquaria re myſteria omnia defugienti veri longe ſimilius

C. VALERIVS. SATVRNINVS D

ALAE. I ASTVRVM PRAEF. OPT.

